





1. Michaelis s. Joh. Georg. Diss. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller s. Christoph Gottl. Diss. de genuina
vocabu xarakter et yposta si notione.

3. Morheim s. Joh. Lauers Diss. de iefu Christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmst. 1790.

4. Müller s. göttsr. En. Diss. de papolatria.
Lipscie 1726.

5. Müller s. phil. Diss. de jure Dei in Flamines;
jena 1701.

Diss. de regno Israeli: restauran.
do, jena 1704.

Crocodilus lacrimans, jene 1733.

Diss. de Iesu Christo Deanthropo, jena
1704.

Murzini s. Caspi. Gottl. Diss. de gloria
templo. Brundi jene 1661.

m *f.*
nis

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE
PAPOLATRIA
AVSPICIIS DIVINIS
ET CONSENSV AC AVCTORITATE
MAGNIFICI THEOLOGOR. ORDINIS
IN
CELEBRATISSIMA LIPSIENSIVM ACADEMIA
CVM D. X. SEPTEMBR. A. O. R. M DCC XXVI.
DOCTOR SACRARVM
LITERARVM ET THEOLOGIAE
PVBLICE RENVNCIARETVR
IN
SOLENNI PANEKYRI
EXHIBVIT
GOTTFRIDVS ERNESTVS
MVLLERVS
SS. THEOLOG. LICENTIAT.
PASTOR PRIMARIUS ET SVPERINTENDENS
APVD ILMENAVIENSES.

LIPSIAE
LITERIS IMMANVELIS TITIL.



SERENISSIMO. PRINCIPI.
AC. DOMINO.

D O M I N O.

W I L H E L M O.
E R N E S T O.

D V C I. S A X O N I A E.
J U L I A E. C L I V I A E. E T. M O N T I V M.

A N G R I A E. E T. W E S T P H A L I A E.

L A N D G R A V I O. T H U R I N G I A E.

M A R G - G R A V I O. M I S N I A E.

C O M I T I. P R I N C I P I. H E N N E B E R G I C O.

C O M I T I. M A R C A E. E T. R A V E N S B E R G A E.

D O M I N O. R A V E N S T E I N I I.

D O M I N O. S V O. C L E M E N T I S S I M O.



PRINCIPI.
AVGVSTISSIMAE. DOMVS.
ANTIQUITATE.
REGIAE. STIRPIS. PROSAPIA.
ATAVORVM. SPLENDORE. ET. MAIESTATE.
INTER. MAXIMOS.
PIETATE. IN. DEVVM.
AMORE. IN. SVBDITOS.
CLEMENTIA. IN. OMNES.
INTER. OPTIMOS.
SAPIENTIÆ. FRIDERICI.
CONSTANTIÆ. IOHANNIS.
MAGNANIMITATIS
IOHANNIS. FRIDERICI.



DIVINI CULTUS PROPAGATORI
ET.

OMNIVM AVITARVM SAXONVM.

VIRTUTVM. AERI.

NON. HAEREDI TANTVM.

SED. TV. ET.

VIVO. ET. INCOMPARABILI.

EXEMPLO.

MAGNIS. MAIORIBVS. MAIORI.

EVANGELICAE. FIDEI.

A.

PAPOLATRIA. ET. PAPALI. SUPERSTITIONE.

REPVRGATAE.

CONFESSORI. ASSERTORI. DEFENSORI.

CONSTANTISSIMO.



DIVINI. CVLTVS. PROPAGATORI.
RELIGIOSISSIMO.
VERÆ. PIETATIS. PATRONO.
INTER. SVMMOS.
ET. VT. OMNIA. DICAM.
WILHELMOS. ET. ERNESTOS. PIOS.
PIISSIMO.
SALVTEM. VITAM. FELICITATEM.
ET. QVÆ.
CHRISTIANI. PRINCIPIS.
VOTA. ESSE. POSSVNT.
PRECATVR.



SIMVLQVE. HAS. PA GELLAS.

OB. SOLENNEM.

PANEGYRIN. DOCTORALEM.

VBI. AD. NVTVM.

CLEMENTISSIMI PRINCIPIS.

NOMEN. ETIAM. SVVM. DEDIT.

TENVI. FILO. PAVCIS. LINEOLIS.

CONSCRIPTAS.

IMO. SEMETIPSVM.

CVM. PRECIBVS. ET. STVDIIS.

IN.

TESSERAM. GRATITVDINIS. CVLTVS.

ADMIRATIONIS.

HVMILLIME. OFFERT.



CELSISSIMÆ. SERENITATIS. SVÆ.

CLIENS. DEVOTISSIMVS.

SERVVS. SVBIECTISSIMVS.

ET.

INTERCESSOR. APVD. DEVM.

INDEFESSVS.

PROTECTOR. PROVINCIA.

CONSERVATOR.

PROTECTOR. PROVINCIA.

CUSTODIAS. ET. SILDUS.

A V C T O R.

ADMIRANDUS.

CHARISMATICVS.



נָא
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PAPOLATRIA.

§. I.



APISMVM & quoad' doctri- Papisinus Syn-
nam, & quoad ceremonias & cul- cretisum ha-
tum in multis cum ethnicismo cisino,
conspirare, a multis jam olim
fuit observatum. D. NICOL.
HVNNIVS fermè ante cen-
tum annos id ex professo de-
monstravit in peculiari libro, de

Apostasia Romanæ Ecclesiæ edito, cuius summam etiam
in *Pell. Ovin. Rom. Eccl. detr. §. 160. p. 165.* repetiit, conf.
§. 801. seqq. p. 1035. seqq. ac D. BAL'TH. BEBEL.
in pec. *dissert. apolog.* contra censuram cujusdam Pon-
tificis defendit, & D. MENO HANNECKEN. in
Disp. P. Pertio, *Apostatae* opposita, quæ inter *Disp. Gieff.*
• *T.IIX. est Disp. XIV. circ. fn. np. p. 490.* non inepte judicat:
Fere omnes ritus, omnes ceremonias Ecclesiæ Pontificiæ
contineri in Virgilio, uti & D. HEINR. HOEPNER.
in *Disp. Theolog. Disp. VI. th. 7. p. 172.* & JOS. ARND.
in *Lex. Antiq. Eccles.* p. 773. in specie purgatorium Ponti-
ficium ex Homero deducunt.

§. II. Inter alia & nomen: PAPA, Papicolis tam *Ethnici colue-*
consuetum, apud gentiles quoque in usu fuit, imo, quod *runt idolum,*
A *cui nomen Pa-* mire-

pa, sic etiam
Papista.

mireris, in cultu, siquidem ipsi quosdam eorum Deastros eodem nomine cognominarunt. Notatu præcipue dignum est idolum, quod in Phrygia olim simul cum Cybele fuit cultum, cui nomen *Attis*; historiam ejus, ejusve cultum docte descripsit GERARD. JOAN. VOSSIUS in *Theolog. Gentil. L. I. C. 20. p. 149. seqq. & L. II. C. 52. § 53. p. 590. seqq.* Leguntur etiam ibi varia, quæ cum Papicolarum cultu idololatrico valde conspirant. Sic Cybelle s. Cybele dicitur *Magna Deum mater, Μεγάλη θεός, ἡ Μήτηρ, & ejus sacra dicta Μητρά*. l. c. p. 150. 594. 569. 602. ipsa etiam adiecta est Romam, anno Urbis I^o XLIX. l. c. p. 602. & simulacrum ejus Romæ ad diem VI. Kal. April. solenni modo circumgestabatur l. c. p. 595. a quali cultu Papistarum Mariolatriæ & annuæ eorum processiones non sunt alienæ. Sic sacerdotes, qui sacra peregerunt matris Phrygiæ & Attidis Curetes fuerunt dicti, a Curetibus Ætolicis, qui inhabitarunt Chalcidem, hi enim, cum prius comam alerent, sed ab iis, quibuscum de Lelanto campo decertarent, capillis apprehenderentur in pugna, noluere deinceps pugnare intonsi, atque ex eo dicti *Kρεντές*, quia *κρένα* est tonsura, uti contra, qui trans Acheloum habitarent, vocati Acarnanes, qui non tonderentur, ex α κρεντινῷ & νέρειν s. *κορεῖν*, quod est tondere, unde & nomen carminis, non ejus, quod canitur, sed quo carminatur; l. c. p. 599. cum quibus tonsura monachorum facile concordat; sic ipse Attis fuit eviratus, & virilia ei exsecta, quare etiam *Deus eunuchus* dicitur a MINVTIO FELICE in *Ostavio*, & in honorem evirati Attinis fuit a Cybele constitutum, ut nulli inter ejus sacerdotes locus daretur, nisi qui ejus instar, fuerit eviratus quod ex TATIANO *Affyrio Orat. contra gentes* evincitur l. c. p. 153. seqq. Ab hoc more



more non multum recedit Papæ lex, quæ omnibus sui ordinis conjugium interdicit, ut, licet revera non sint evirati viros enim hac in re semet multi præstiterunt monachi, imo Pontifices, ut viva exempla testabantur, ut eviratos tamen se gerant, &, postquam sacerdotio inaurati, instar eviratorum ab omni legitimo contubernio maritali abstineant; Sie in sacerdotibus ejus novem præcipue notantur; *eviratio*, de qua jam dictum, *furor*, ad quem stimulabantur per tibiæ cantum, ad quem eviratio fiebat, *vestitus multicolor*, quo sunt usi, *capitis rotatio*, *capitis inunctio*, *mollities incessus*, *lacertorum sectio*, quos inspectante populo, ferro cruentabant, *ejulatus* & *plandus*, quibus Cybelen ob Attin lugentem imitabantur, & *æruscatio*, quando æra a populo mendicabant, seu mendicando stipem petebant, eo dicti *μητρογύνται*, hoc est, æruscatores magnæ matris; & parum absimilis est *vestitus monachorum multicolor*, *inunctio*, *mollities in monasteriis*, *flagellatio* æruscatio seu mendicatio Capucinorum, & centum alia in Papatu. Sed hæc aliave mittimus, quæ hac vice sphæram nostram non tangunt, jam nomen præcipue notamus, cum Papa commune, quod idolo huic etiam adhæsit. *Attis* quippe primo, postea PAPA fuit dictum, ut GERARD. JOAN. VOSS. l.c. L. I. C. 20. p. 151. observat; Refert hæc ex DIOD. SICVLO Lib. 3. plura vero de voce hac non addit; inquirit tamen in originem vocis Attis l.c. L. II. C. 60. p. m. 637. & arbitratur Arlñs ejusdem esse originis ac Adñs, & hoc, quod Plutonis nomen ab hebræo אַרְמָה terra vult deducere. Sed hac in re Viro doctissimo vix possumus subscribere, Adñs etiam ac Arlñs valde inter se discrepant, nec commode ejusdem possunt esse originis, difficile etiam sine dubio est, nominis ortum, qui con-



tradictioni non sit obnoxius, indagare, in rebus, quæ tam
longe ab hominum memoria sunt remotæ; Liceat jam
conjecturam tantum proferre, quæ nobis hæc legenti-
bus in mentem venit. Legitur quippe apud Graecos
hinc inde vocabulum Ἀτλας, quod non tantum atticum
est, pro ἀστρα, ut alibi notum, sed & talis vox, qua junio-
res suaviter compellare solent senes, quasi Pater, sic Achilles Il. I. φανηγές ἀτλας γέγονε. ap. JOH. SCAP. in Lex.
& hoc convenientiam sine dubio habet cum Hebraeorum
בָּא & Syrorum לְאֵל Pater, quod et, ut notissimum
in N. T. occurrit Αββᾶ ὁ πατήρ. Marc. XIV, 36. Rom.
IIX, 15. Gal. IV, 6. Deinde Græcis Jupiter, supremus
gentilium Deus, dicitur Δις, unde etiam Ditem, seu Plu-
tonem, ut Jovem Stygium derivat GERH. JOANN.
VOSS. l. c. p. 435. Ex his duobus vocabulis Ἀτλας & Δις
forsitan composita fuit compellatio hujus idoli Ἀτλης sive
Ἀτλης, quod etiam rectum esse ex Harpocrate, Suida, De-
mosthene, aliisve demonstrat. G. J. VOSS. l. c. p. 595. sq.
ut hac ratione Ἀτλης idem sit ac: Pater, seu Papa Deus.
Ex hac derivatione magnum lumen foeneratur alterum
ejus cognomen Papa, cum ita unum tantum alterius sit
explicatio. Nec aliis inter gentiles hoc idoli nomen,
Papa, fuit ignotum, siquidem eundem esse Phrygibus
Attinem, Ægyptiis Osridem, Assyriis & Phœnicibus
Attonidem l. c. evincitur L. II. C. 9. p. m. 357.
adeoque sine dubio etiam hoc ejus nomen Ægyptiis,
Assyriis & Phœnicibus fuit cognitum. Sic etiam Scy-
thæ, vetustissimus populus, Jovem Græcum, quem coluerunt, Papæum appellabant, i. e. paternum, s. Pappam, no-
mine a Syracusis petito, teste HERODO T O ap. Ambros.
CALEP. in Dict. ad h. v. & Πάπαι, Dryopum lin-
gua, Dii sunt appellati, qs. τὰ πάπα διονύσιοντες, uti ex HO-
MERO



MERO adducit JOH. SCAP. in Lex. gr. ad b. r. Omitimus plura, sufficit ex his clarissimum esse, apud ethnicos jam idolum quoddam sub Papæ nomine latuisse, & ab iisdem divino & idololatrico honore fuisse cultum. Et hæc, quando conferuntur cum supremo honore, quo Papicola sumnum ipsorum Pontificem Romanum, quem *Papam* communi ore salutare amant, afficiunt, in aprico est, Ecclesiæ Pontificiam etiam ab ejusmodi cultu idololatrico hujus idioli, seu Papolatria, non alienum esse.

§. III. PAPA, unde *nomen* habeat, inter autores Derivatio vo-
equidem non convenit. Non potest commode deduci ab cis. Papa, du-
hebræo בָּבָר pater, ac si inverso ordine fuerit pronuncia-
tum, Abbas potius exin formari potest, quam Papa; Nec
ex latino: Pater Patriæ, s. Pater Patrum, uti Cardin. HO-
SIVS interpretabatur in Conf. Petrocovensi. ap. D. JOH.
GEORG. DORSCH. Relig. Scrupel. R. 20. p. 430. quæ
in compendio ita scripta: Pa. Pa. v. Antiqu. Pontif. Rom.
Denar. à JOH. VIGNOLLIO edit. Tab. II. fig. 5. p. 3. in
Actis Erudit. Lips. an. 1710. p. 31. multo minus a papis, seu
papillis, ac si ex Papa lac fidei fugatur. Derivatio vero ab
interjectione admirantis, παπᾶ, Papæ, ac si Papa in terris præ-
cateris sit admirabilis, uti opinatur BENED. CHIA-
VETTA in Institut. jur. can. L. I. c. II. in Act. Erud. Lips.
an. 1714. p. 127. conf. REMIG. ANTISIODOR. ap. D.
GEORG. DORSCH. in Anti-Corn. Cap. 22. §. 15. p. 226.
magis mirabilis est, quam vero consona.

§. IV. Vero magis consonum est etymon, quod e Græ- Vera datur.
cia petitur; ibi enim πάππας significat patrem a πάειν τες
πάιδες, quod liberos enutriat, seu a vocula infantum πᾶς,
pater, per reduplicationem, sic ex PHILEM. Comico apud
ATHEN. L. 8. legitur χαῖρε παππα φίλατε, & apud HO-
MERVM Odyss. L. 6. filia dicit ad patrem: Πάππα φίλε.



*Πάππος, avum, qui πάππες πατής, pappa, sive patris pater, juxta PLATON. de leg. Παππάζεν, vel παππίζεν, pappa dicere, patrem vocando pappam ab blandiri, uti HOMER. Il. e. fatur: Οὐδὲ τι μη παιδες ποτὶ γένεσι παππάζεσθαι, Ἐλθόντ' εἰν πολέμῳ. Unde apud Suidam παππαῖσμος est compellatio patris, vocando illum Pappa. Hoc sensu etiam apud Latinos legitur *Pappas* pro patre; sic JVVENAL. Satyr. 6.*

Timidus prægustet pocula PAPPAS.

Pappus pro avo, juxta AVSON. ad Nepotem.

PAPPOS, aviasque trementes

Ante ferunt Patribus seri nova cura nepotes,

Pappare, i. e. puerili balbutie patrem appellare, apud PERS. Satyr. 3.

Et similis Regum pueris PAPPARE minutum, Poscis.

Papa ergo, si Pappa est vox infantum, qua blandientes & balbutientes puerili patrem suum compellant, uti vel propria experientia, & consuetudo hactenus etiam inter Germanos honoratoris ordinis introducta, ad oculum testatur. v. ROB. BELLARM. Card. Controv. L. II. c. 31. p. 271. b. D. HIER. KROMAYER. Scrut. Relig. Disp. XII. ih. 2. sq. p. 285. & Lexica passim.

*Non de voce
Iis est, sed re
ipsa.*

§. V. Nos, quod attinet, de voce non ita sumus solliciti, quippe quod commodam admittit interpretationem Patris, nec idem etiam e Schola gentilium volumus derivare, quanquam non desint, qui Papam a Scythico Jove Papao dictum velint; ut SIMON SCHARDIVS de Elect. orig. c. 6. ex Goldasto allegatus à D. BENED. CARPZOV. in Vindic. Th. Luth. a crim. læse maj. ex asserto Rom. Pontif. Anti-Christ. contra Jct. Dilling. posit. 2. B. Forsan etiam Hebraic vocabulum non ignotum fuit, si vera sunt, quæ JOH. HEINR. HOTTING. in Cipp. Hebr. p. 64. refert de sepulchro cuiusdam Rabbi, nomine Papa, quale cognomen



men tamen in *Celeb. Dn. JOH. CHR. WOLFFII Bibliothe.*
Hebr. non occurrit ; Sed potius de re ipsa & cultu isto ido-
lolatrico, quem Papicola Papæ Romano, ut gentiles olim
idolo suo, cui Papa erat nomen, exhibere solent.

§. VI. Hoc etiam facile largimur ROB. BELLARM. *Nomen Papæ*
I.c. quod Ecclesiastici patrem spiritualem blando illo vocabu-
lo Papam appellare cœperint. Verissimum enim est, titulum *olim Episco-*
pis commune,
hunc in antiquiori Ecclesia, Episcopis & Patriarchis aliis, sensu Pontifex
præcipue Alexandrino, siquidem origine græcum est, fuisse
Rom. ad se
communem, quod nec ipse dissiteri potest, nec Papistæ alii.
v. Hist. Patriarch. Alex. Jacob. quam EVSEB. RENAV-
DOT. edidit p. 28. seqq. in Act. Erudit. Lips. an. 1714. p. 490.
id vero largiri non possumus Bellarmino, quod primatum
Episcopi Romani exin stabilire velit, & scribat: Eum a to-
to mundo, & generalibus conciliis per antonomasiam ita vo-
cari, ipsum vero neminem vocare Papam, seu Patrem, sed
omnes filios seu fratres ; hæc enim ex una parte falsa sunt,
ut demonstrat DAN. CHAM. in Panstr. Cath. T. II. L. 13.
c. 19. p. 273. ex parte principium petunt, & dicunt saltim,
quid Papa de facto faciat, non quid de jure facere debeat.
In sequioribus enim temporibus curia demum Romana ti-
tulum hunc ad se traxit, & præcipue Gregor. VII. in Syno-
do Rom. 1073. protervo' ausu eum sibi proprium fecit. vid.
JOS. ARND. Lex. Antiquit. Eccles. p. 793. Adscito hoc
titulo præter jus & æquum, exclusis cæteris dignitas simul
& veneratio Episcopi Romani successu temporis in im-
mensum crevit, vel potius a parasitis hujus curiæ stabilita
est, ut adeo Papa Romanus non Episcopus Ecclesiæ apo-
stolicæ, sed idolum Ecclesiæ apostaticæ evaserit.

§. VII. Non opus est, ut multa verba faciamus de ido-
lolatria, vel idolo, siquidem idolum juxta stylum scripturæ *Adeo que com-*
sacræ nihil est. ἐδὲ εἰδωλον ἐν κόσμῳ. 1. Corinth. VIII, 4. & mittitur Pa-
polatiria.

idolo-



idololatra, qui tale quid ex superstitione & falsa persuasione pro vero Deo colit, quod nihil minus quam verus Deus est, vel, etiamsi illud non pro Deo habeat, eodem tamen, quo ipsum Deum veneratur modo, idem colit. Uti vero in Pontificiorum cœtu idololatria multis modis regnat. v.
D. WILH. LYSER. *Disp. de Pontif. idolol.* ceu eorum angelolatria, Mariolatria, hagiolatria, iconolatria, artolatria, lipsanolatria, &c. testantur, ita inter varias has idololatriæ species **PAPOLATRIA** facile primum locum occupat, siquidem Papam ubique crepat Papismus, & eum ut Vice-Deum veneratur, imo a Papolatria omnis alia Papicolarum idololatriæ dependet, & ortum suum dicit.

*Papæ divina
attribuuntur
nomina.*

§. VIII. Est itaque *Papa Papicolis idolum*, quia idololatrice ab ipsis colitur. Primum enim *Papæ Romano attribuunt DIVINA NOMINA*. Nomina divina soli Deo competit, ejusve supremum honorem indicant. **כשימך אלהות כך תהלהך** *Sicut nomen tuum, Deus, sic laus tua usque ad extremitates terræ, Ps. XLIX, ii.* imo per eadem ab idolis & Deastris gentilium discernitur. *Tu enim Jehovah exaltatus es super omnem terram valde elatus es supra omnes Deos, Ps. XCII, 9.* **אתה שمر יהוה לבך :** *Tibi soli nomen tuum Jehovah, Ps. LXXXIII, 19.* *Idola vero populi rerum איך כמוך יהוה nullus partibi, Jehovah, magnus tu es,* **ונגדך שמר נגבורתך** *magnum nomen tuum potentia :* **יהוה עבאות שמר Jehovah exercituum nomen ejus. Jerem. X, 3, 6, 16.** Quare etiam nomen interdum absolute ponitur pro ipso Deo, ut *Levit. XXIV, II.* *Et maledixit את השם nomini, i.e. Deo.* Nilominus tamen a Pontificiis Papæ etiam adscribuntur. Olim quidam erat Diana sacrificulus, cui nomen Myxus, huic in more erat per vaniloquentiam suam, omnia, quæ ei ad



ad palatum, magni facere, & ad cœlum usque evehere, ut in proverbium abierit: *Papæ Myxus* de eo, qui voculam admirationis παπᾶς semper in ore habet, & minima etiam magnifacit, ac supra modum laudat. Tales sacrificulos Papa habet innumeros, ut interjectio Papæ, ferme opus habeat formam nominis induere, ceu in *prefat. ad Tob. Seiler. Dæmon. §. 1. sq.* scribit D. VAL. ALBERTI. Papæ enim Myxus est quilibet eorum, qui Rom. Papam divinis nominibus idololatrice mactat, & afficit.

§. IX. Talis Papæ Myxus fuit ABRAH. BZOIVS, *Non tantum Ord. Prædic.* qui peculiarem librum scripsit *de Rom. Pontifice*, in eodem per quinquaginta capitum seriem tot superba, & ex parte a blasphemia in Deum non aliena Pontifici Romano adscripsit nomina. Recensentur eadem hoc ordine Papa est juxta Cap. 1) *Christianorum Monarcha.* 2) *a Deo assumtus.* 3) *Mortalium supremus.* 4) *Christi in terris Vicarius, non Antichristus.* 5) *Petri successor, prime sedis Presul.* 6) *Catholicæ Ecclesiæ Primas.* 7) *Conciliis jure divino prælatus.* 8) *Auctor conciliorum.* 9) *Præses conciliorum.* 10) *Præfinitor conciliorum.* 11) *Confirmator Conciliorum.* 12) *Moderator conciliorum.* 13) *Judex conciliorum.* 14) *NEC FALLI NEC FALLERE SCIENS.* 15) *Nec judicari a quoquam hominum potis.* 16) *A quo nulla provocatio.* 17) *AD QVEM IN REBUS FIDEI PROVOCATIO* 18) *Depositi apostolici servator.* 19) *A Christo & Spiritu S. tradidit doctrinæ dictator.* 20) *S. Scripturæ custos & cognitor.* 21) *INTERPRES S. SCRIPTVRÆ.* 22) *CONDITOR DOGMATVM.* 23) *Doctor orbis.* 24) *JUDEX CONTROVERSIARVM DE FIDE.* 25) *Hæreticorum ultor.* 26) *Innocens ab hæresi.* 27) *IMPOLLVTVS, ET A PECATORIBVS SEGREGATVS.* 28) *Censor librorum.* 29) *Antistites sacrorum.* 30) *CLAVIGER COELORVM.* 31) *Fan-*
B *nitor,*



nitor regni cœlestis. 32) *Judex cœli in iudicio terreno supremus.* 33) *Fons sacerdotii.* 34) *Princeps pastorum.* 35) *LEGISLATOR.* 36) *Totius Ecclesiæ curator.* 37) *Judex Episcoporum.* 38) *Ad quem in causis ecclesiasticis ultima provocatio.* 39) *Religionis vertex.* 40) *Rom. urbis antistes, cum cura spirituali & temporali, a qua urbi maxima felicitas.* 41) *Patrimonii apostolici justissimo titulo possessor atque paterfamilias.* 42) *Christi imperii columen.* 43) *Imperii Christianorum Servator.* 44) *VNCTOR REGVM.* 45) *ARBITER ORBIS.* 46) *Vindex scelerum.* 47) *Ecclesiastice libertatis assertor.* 48) *ORBIS CHR. PACARIVS.* 49) *Christianorum defensor.* 50) *INDEFICIENS.* Leguntur etiam apud D. JOH. GEORG. DORSCH. in Kirch. dev. p. 115. sq. *Orat. de pace in terris* p. 35. sq. Rel. *Scrupel pref.* p. 182. sq. nec non in D. JOH. GERH. *Confess. Cath. L. II. P. I. Art. III. Cap. 5. p. 643.*

*Sed & in spe-
cie omnia no-
mina Christi.*

§. X. Sed hæc non sufficiunt ; longius progrediuntur Papicolæ, & Papæ etiam omnia nomina Christi attribuere non verentur. v. D. ANDR. KESLER. *Bell. Relig. Christi & Papæ Cap. I. p. 7. seqq.* Sicuti enim omnia sibi arrogat Papa, quæ Christo propria sunt, quoad officium ejus propheticum, sacerdotale & regium, ita & nomina Christi eidem aperte adscribunt. Ita sentit ROB. BELLARM. in *Controv. T. II. de Concil. Auct. L. II. Cap. 17. p. 39.* ibi enim non tantum quatuor Christi nomina ; *Paterfamilias in domo sua, Pastor Ecclesiæ, Caput corporis Ecclesiæ, Sponsus Ecclesiæ,* eidem adsignat, quam vere v. ap. DAN. CHAM. l.c. p. 274. sq. sed etiam aperte profitetur ; *Omnia nomina, quæ in scripturis tribuuntur Christo, unde constat, eum esse supra Ecclesiam, EADEM OMNIA TRIBVVNTVR PONTIFICI.* MELCH. INCHOPHER. *Jes. magis adhuc excedit, & Papæ nomen nomini Christi adhuc præfert;*

Ita



Ita enim Card. Pamphilium, cum Papa renunciaretur, & Innocent. X. dictus, profana plane & blasphema ad ejus nomen gentilium facta allusione alloquebatur *Eminentissime & Reverendissime D. Card. Pamphili. PHILIVS Dei (superlativus amor patris, quia φιλατείος, ideo PHILIVS dictus,) ex aeterna ejus charitate, quae se Deo patri obtulit, in amantisimum intercessorem, & mediatorem Dei ac hominum, ab instanti conceptionis in utero B. Virginis factus fuit sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ac primus Pontifex Opt. Max. Sed PHILIVS fuit PHILIVS, non fuit PAMPHILIVS. Fuit intercessor Dei & hominum, non fuit universalis mediator angelorum & hominum, seu PAMPHILIVS. Si ex nominis analogico aeternoque anagrammate presagire licet aliquod mysterium in tempore, TV AB AETERNO PRÆDESTINATVS ES, ESSE PAMPHILIVS IN TERRIS, AC DICI PAMPHILIVS AEMVLVS FILII DEI IN COELIS. PAMPHILIVS ergo eris, universalis nimirum mediator angelorum & hominum, in terris hostiliter pugnantium Regum & populorum, quod praestabis non nisi electus in Pontif. Max. In cuius faustissimum augurium Evangetus ergo, felix mutius ter sanchos pedes Eminentiae vestre ex nunc desculor. conf. D. JOH. DORSCH. Anti-Corn. Cap. XXIV. §. 12. p. 295. & D. JOH. ADAM. SCHERZ. Progr. in obitum D. Sam. Lang. qui hoc ex Laurent. Banck. Rom. triumph. referunt.*

§. XI. Imo, quod vix credas, à Christiano fieri posse, *Imo appellatur Vice-Deus, Pro-Deus, Deus ipse.* ipsius Dei Summi nomine Papam compellunt. Modo appellatur ab ipsis VICE-DEVS. Sic THOM. MARIA CARAFFA, e Soc. Iesu theses suas theolog. philosoph. Papæ turcic Paulo V. his verbis dedicavit: PAVLO V. VICE-DEO, Christianæ Reipublicæ Monarchæ invictissimo, &



*Pontificiæ omnipotentia conservatori acerrimo, ubi tamen
valde ominosum, quod Wilb. Bedellus e primis hujus inscriptionis verbis, ope literarum numeralium, numerum bestiæ Apocalypticæ DCLXVI. eruerit, ceu ex ejus vita re-
censetur in Act. Erudit. Lips. an. 1686. p. 244. Notatu
etiam dignum est Papæ ultra fortè hominum encomium,
quod legitur apud CATALD. de BONCOMPAGN.
in Tract. de Potest. Pap. §. Proinde loquar, num. 14. hisce
verbis: Papa NON PVRI HOMINIS, sed DEI VIVI
VICES GERIT in terris, & totius mundi appellatur Domi-
nus. Est sacerdos maximus, summus Pontifex, Heres Aposto-
lorum, Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abra-
ham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Mo-
ses, judicatu Samuel, potestate Petrus, VNITIONE CHRI-
STVS, ipse est, ut Bernhardi utar eloquio, diligentium Pater
summus & particeps omnium timentium eum, Christianorum
dux & ordinator, omnium Pastor, Magister sapientum, op-
pressorum refugium, advocatus pauperum, miserorum spes,
coecorum oculus, mutorum lingua, baculus senum, malorum
metus, bonorum gloria, potentum virga, tyrannorum mal-
leus, Regum Dominus, moderator legum, sol terræ, orbis lu-
men, Vicarius Christi, successor Petri, & mundi arbiter,
Dominus & magister. Nil profecto in hoc encomio omis-
sum, quam conclusio in mente retenta, que procul dubio ex
Papa facit Deum; sic notanter addit post horum verborum
recensionem D.BEN. CARPZOV. in Vindic. Th. Luth.
contra J.Ct. Dilling. Cap. I. §. 18. & tamen his plane confor-
mia habet STEPH. TEGLIATIVS, qui ad Innocent.
IIIX. dixit, quod Papa fit Primus omnium mortalium, summus
bierarcha in terris, primatu Abel, gubernatione Noe, Pa-
triarchatu Abraham, ordine Melchisedech, benedictione
Isaac, dignitate Aaron, fecunditate spirituali Jacob, auto-
ritate*



ritate Moses, ducatu Josue, zelo Phinees, fortitudine Samson, judicio Samuel, imperio David, sapientia Salomon, spiritu Elias, cœlestium contemplatione Esaias, vita angelus, OFFICIO DEVS, VNCTIONE ET REGNO CHRISTVS PRÆ PARTICIPIBVS VNITVS. ap.D. JOH.GEORG. DORSCH. in Kirch. dev. §. 24.p. 118. Modo PRO-DEVS dicitur. uti MARTIN. ab AZPILCVETA in præfat. Manual. Confess. Greg. XIII. PRO-DEVM cognominavit ap. D. J. G. DORSCH. l. c. p. 120. Modo DEVS ipse. Sic fatur LÆLIUS ZECCHIVS de Republ. Eccles. C. de statu Papæ, art.28. Papa est & dicitur Christi Vicarius, & QVA-SI DEVS IN TERRIS, &, quod ipse fecit, non humanus princeps, sed DEVS facere videtur. ap. DAN. CHAM. l. c. LXVI. C. 18.p.357. JOH. à CAPISTRANO de Autor. Pap. & Concil. Part. 3. Secund. part. princ. n. 1. Papa est DEVS IN TERRIS. JOH. HIER. ALBAN. Card. in Tract. de Potest. Papæ præf. n. 72. ibi: Papa canonice ele-ctus est DEVS IN TERRIS. ap. BEN. CARPZOV. l. c. §. 17. LVDOV. GOMESIVS in Panegyr. Papam nomi-nat: VISIBILE quoddam NVMEN, & quasi VISIBI-LEM quendam DEVM. THOM. STAPLETON. in præf. princ. fid. doctr. ad Greg. XIII. Optimum maximum & supremum NVMEN IN TERRIS. PETRVS à COR-DVA, & HIER. BALBVS, Oratores Ferdinandi Au-striaci ad Papam Alex. VI. vocarunt eum, Vicariam Chri-sti personam in terris, ut DIVINAM COELESTEMque colendam, & Angelus POLITIANVS eum ita allocutus est: Gratulamur tibi, Alexander Sexte, Romane Pontifex, quod ad rerum humanarum fastigium elevatus, imo ad DIVI-NITATEM IPSAM plane sublatus, omnia præter Deum minora inferioraque te videas. COLVMNA etiam Car-din. in inaugurat. Innocent. X. curam ejus paternam, &

B 3

PLVS



PLVS QVAM DIVINAM dixit: ap. D. J.G. DORSCH. l.c. p. 117. 120. 126. Ej. Anti-Corn. p. 296. conf. D. LEON. HVTTER. II. mal. regni Pontif. p. 6. sq. ubi similia leguntur, ut & *Ludov. CROC.* de vera Relig. p. 17. ubi hoc cuiusdam Episcopi de Papa effatum adducit: *Quem PRO DEO HABEMVS, in his, que Dei sunt, quicquid ipse dixerit, TANQVAM DEVVM AVDIRE debemus.* Notus etiam est arcus triumphalis, qui Sexto. IV. Romæ sicut positus, hisce verbis:

*Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et merito in TERRIS CREDERIS ESSE DEVS.*

v. Doct. & Profess. Witteb. Jubel-Pred. an. 1617. p. 105.

*Varia etiam
dicta Script.S.
que de Deo
& Christo
applican-
sur.*

§. XII. Huc pertinent etiam varia scripturæ sacræ dicta, quæ de Deo & Christo agunt, & blasphemō tamen & Christo ore ad Papam applicantur, e.g. *Christus dicens: cum exalt-
agunt, ad Pa-tatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, hoc
pam applican-
voluit dicere, omnia imperia & regna mundi recuperabo,*
& auferam a Cæsare, Regibus, & aliis principibus, id-
que per milites suos Apostolos, & præsertim Papam. Sic
interpretatur hoc JACOB de TERANO, in Tract. Mo-
narch. qui incipit: *Reddite Cæsari ap. D. LEONH. HVT-
TER. l. c. p. 12. J. HIER. ALBAN. Card. in proœm.
digest. & FRANC. BVRSAT. Consil. n. 73. afferunt;* do-
nationem Constantini ab ipso Spiritu sancto fuisse insi-
nuatam, I. Paralip. ult. ubi David dicit: *In manu tua, Do-
mine, magnitudo & imperium omnium, tue sunt divitiae,
tua est gloria, tu dominaris omnibus.* Ego autem, & populus
meus quid sumus aut possumus tibi promittere? cum tua
sint omnia, sed hæc ipsa, quæ de manu tua suscepimus, dedi-
mus tibi. Et *Jerem. I.* ubi dicit Deus ad *Jeremiam:* Ecce con-
stituo te hodie super gentes, & super regna. FR. TVR-
RIANVS contra Sadeel. p. 14. scribit: *Prophetiam Es. 61.*

In



*In faciem terræ adorabunt, & pulverem pedum tuorum lin-
gent. Ubi hoc, nisi in deosculatiorne pedum Episcopi Roma-
ni, ut jam exitus patet?* ANGEL. CARERIVS de
Poteſt. Rom. Pontif. L. I. c. 3. p. 104. n. 16. Prophetæ Jerem.
in persona Christi ad Rom. Pontificem loquitur: Ecce, con-
ſtitui te super Reges & regna, scil. per correctionem & pu-
nitionem, si Reges malifuerint. Ex quo dicto etiam In-
nocent. III. & Paul. III. & Pius V. in bulla potestatem su-
premam Rom. Pontif. in temporalibus deducunt, ap. D.
JOH. GERH. Confess. Cath. l. c. p. 955. 957. ubi etiam p.
947. sq. e variis Scriptoribus Pontificiis verba refert; quæ
Alexander III. Papa Imperatoris Friderici Barbarossæ col-
lum pede comprimens, ipſe dixit: *Scriptum est, super aspi-
dem & basilicum ambulabis, & conculcabis leonem & dra-
conem.* RÖDER. SANCIUS Zamorens. L. de orig. & differ.
princip. part. i. ait: *Entia nolunt male disponi.* Ideo unus
est principatus, & unus Princeps supremus totius orbis, qui
est Christi Vicarius, juxta illud Danielis; *Dedit ei potesta-
tem & honorem & regnum & omnes populi, & linguae ser-
vient ei.* ap. D. J. GEORG. DORSCH. in Pentadec. Diff.
XIV. §. 43. p. 506. FERD. VELASCAS in Orat. ad Inno-
cent. VIII. hab. dixit: *Papam juxta Apostolum (Eph. I, 20.)*
super omnem principatum & potestatem, & omne, quod
nominatur sive in hoc sive in futuro seculo constitutum. AN-
TONINVS, Archiepisc. Florent. à Clem. VII. sancto-
rum numero adscriptus in Summ. Tb. Part. III. Tit. 22. Cap.
5. inquit: *Potestas Papæ major est omni alia creata, post po-
testatem Christi extendens se ad cœlestia, terrestria & infer-
nalia, ut de eo possit illud verificari dictum de Christo Ps. 8.*
Omnia subjecisti sub pedibus ejus. AVG. TRIVMPH.
de Poteſt. Rom. Pontif. q. 36. scribit: *Papam influere mo-
rum directionis & sensum cognitionis in omnia membra Ec-
clesiae,*



clesiae, in ipso enim vivimus, movemur, sumus. STEPHAN. Patrac. Archiepisc. ad Leon. X. dixit: *Tibi est data omnis potestas in cælo & in terra.* v.D. J. G. DORSCH. Kirch. dev. p. 117. 122. 126. sq. & conf. DAN. CHAM. l.c. L. XVI. de Anti-Christo cap. 19. p. 358. sq. ubi plura leguntur. Sic etiam ipse ROB. BELLARMIN. in Controv. præf. ad Controv. tert. gen. T. I. de Summo Pontif. p. m. 189. verba Esaiæ (np. c. XXIX, 16. & IIX, 14.) Ecce, ego ponam in fundamento Sion lapidem &c. Papæ adscribit, etiam si Paulus Rom. IX, 33. & Petrus I. Petr. II, 6. eadem de solo Christo interpretentur, hac tantum Glossa addita. *Quan-*
quam hec verba in Christum præcipue convenire non igno-
ramus, eadem tamen non inepte in Christi vicarium quadra-
re censemus: quæ censura vero est satis inepta, & refutatur
 à D. SAM. HVBER. in Anti-Bellarm. L.I. Corn. Bep. I. Cap.
 II. p. 3. seqq. Imo non sine sacro horrore legi possunt, quæ ex
 FRANC. PANIGAROLLA Part. I. Leet. Cath. Leet. 2.
 adducit D. J. G. DORSCH. l.c. p. 127. sq. ibi enim in
 interpret. loco Eph. IV, 5. per unum Dominum Papam in-
 telligit, non Deum & Christum. Verba idiomate Italico
 ita fluunt: *E vero, che bisogna, h avere un signore solo ma*
questo è Dio o vero questo è Christo? O miseri come siete
 ingannati: *Quanto à Dio:* dunque una Chiesa sola sarebbe
 quella de i Christiani, de gli Hebrei, è de i Turchi, per che
 tutti hanno un capo solo, che è Dio: *E, quanto à Christo:*
 dunque una Chiesa sola sarebbe quella de gli Arriani, de i
 Macedoniani, de i Manichæi, de i Pelagiani, è di voi, & di
 noi, perchè tutti confessiamo un Christo. i.e. *Verum est agno-*
scendum nobis esse unum dominum, sed DOMINVM IL-
LVM ESSE DEVVM AVT JESVM CHRISTVM, O
 MISERI, QVANTVM FALLIMINI! *Quod Deum spe-*
 ctat, una igitur esset Ecclesia Christianorum, Judæorum &
 Turca-



Turcarum; si Christum dicatis, una igitur ecclesia erit Arianorum, Macedonianorum, Manichaeorum, Pelagianorum, vestra & nostra, quia omnes confitemur unum Christum. Si enim illi falluntur, qui Jesum pro uno illo Domino habent, & confitentur, Dominus Jesus a dominio suo depossidetur, & idolum, Papa, in locum ejus surrogatur.

§. XIII. Hæc omnia non possunt eludi sub prætextu *Objectio sol-*
illius: *Ego dixi אלהים אַתָּה dii vos estis, & filii ex-*
celsi vos omnes. Ps. LXXXIV, 6. quippe quod huc planè
non quadrat, & Pontificiis ipsis contrariatur: Hæc enim
verba vel de dignitate quadam ecclesiastica agunt, vel de
magistratu politico: si de magistratu politico, quod totus
contextus indicat, & nemo inter Papistas facile inficias
ibit, Pontificiis contrariantur, & exin firmiter potest
conclaudi, quod potestas Magistratus immediate a Deo de-
pendeat, contra potestatem utriusque gladii, quam para-
fici Papæ eidem adjudicare volunt, siveque contrarium pro-
bant; si de dignitate ecclesiastica, quod verò vero pla-
ne contrarium, ministri enim Ecclesiæ nunquam in scri-
ptura sacra dicuntur Θεοί, sed tantum Θεοὶ σύνεργοι. *Dei coo-*
perarii. 1. Corinth. III, 9. iisdem tamen iterum contra-
riantur, & plus probant, quam probare debent; omnes
nempe, quicunque in dignitate Ecclesiastica sunt consti-
tuti, Deos dici posse, & sic Papæ quoad dignitatem & pote-
statem esse æquals. Plane etiam alio sensu, qui magi-
stratum gerunt, Dii dicuntur, ratione sui officii, dum Dei
locum in terris habent, siquidem ἐκ τοῦ ἔχοντος εἰ μὴ αὐτὸς
Θεός. Non est potestas nisi a Deo, est que sunt potestates,
ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένει εἰσών, sunt a Deo ordinatae, Rom. XIII, 1.
& tantum nuncupative, λεγόμενοι Θεοὶ, qui dicuntur Dii,
1. Corinth. IIIX, 5. non vero ipsa natura sunt, quod etiam
in verbo נָבָרְתִּי dixi, latet; et ex opposito: **אֲכָרֵם תָּמֹתָוֹךְ**



תמותה Veruntamen ut homo morituri estis, quod statim additur, fluit; quam Papa a suis pro Deo venditatur. Papa enim Deus non tantum dici, sed & esse vult, & jam olim fuit disputatum: *Utrum Papa simplex homo sit, an quasi Deus participet VTRAMQVE NATVRAM CVM CHRISTO, de quo etiam DESIDER.* ERASM. ROTEROD. in *Not. ad I. Tim. I. p. 465.* suo tempore fuit conquestus ap. D. WILH. LYSER in *Diss. de Pontif. Idol. §. 98. p. 69.* & D. ANDR. KESLER. in *Bello Relig. Christ. Et Papæ Cap. 2. p. 69.* quod ISIDOR. MOSCON. Peraf. in *L. I. de Majest. milit. Eccl. P. I. C. I. p. 22.* ita decidit: *Papa non Deus est, nec homo, sed VTRVMQVE* ap. D. J. G. DORSCH. *I. c. p. 120.* unde etiam non ignoti fluixerunt versiculi:

*Papa stupor mundi, qui solus maxime rerum
Nec Deus es, nec homo, sed TERTIVS INTER V-
TRVMQVE*

v. THEOL. WITTEB. Jubel-Pred. l.c.

*Papæ divina
adscribuntur
attributa v.g.
omniscientia
& infallibili-
tas, que soli
Deo competit.*

§. XIV. Dein etiam Papæ a Papicolis DIVINA tribuuntur ATTRIBUTA & PROPRIA. Duo tantum attributa v.g. hac vice in medium producam, & inter ea primum esto *Omniscientia & Veritas falli nescia, seu, ut eam curia Romana appellat, INFALLIBILITAS, quæ in scrinio pectoris Papæ residere dicitur.* *Solus Deus est אל רעה* Deus notitiarum & scientiarum omnium. *I. Sam. II, 3.* *'Ο Θεὸς γνῶσει πάντα, Deus novit omnia* *I. Joh. III, 20.* Ipse habet σοφίαν καὶ γνῶσην, sapientiam & cognitionem. *Rom. XI, 33.* & *Col. II, 3.* & hæc ejus scientia & intelligentia est falli nescia, verissima infallibilitas, nec potest falli, apud eum enim non est παρελλαγὴ, ἢ τροπῆς αὐστηρομέτρια transmutatio, aut conversionis obumbratio, *Jac. I, 17.* nec fallere, sive per se ipsum, sive per alium. *Vti Deus est*

autem



αὐταγαθὸς, ita etiam αὐταληθῆς, veritas prima & summa. Verba eius sunt ἀμήν veritas. 2. Sam. VII, 28. & hæc di-
vina veritas infallibiliter in verbo ejus est manifestata. Habemus δε βούτερον τὸν προφητικὸν λόγον, firmiorem illum
sermonem propheticum, cui recte facitis, attendantes, ὡς
λύχνῳ φαίνοντες, velut lacerna splendenti in obscuro loco,
usque dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur, in cordi-
bus vestris. 2. Petr. I, 19. **לאיש אל יוכזב** Non Deus est
homo, qui mentiatur. Num. XXIII. 19. e contra **כל־האום כוזב** omnis homo mendax, Pf. CXVI. II. qui potest falle-
re, & falli; adeoque etiam Papa Rom. & nulla ipsi infal-
libilitas, nisi eum, ceu idolum ex hominum numero exi-
mere velis, competere potest.

§. XV. Fallibilitatem prætensæ hujus infallibilitatis *Non Papæ.*
imo falsitatem jamdudum multi demonstrarunt, siquidem
nulli Pontificum Rom. privilegium infallibilitatis vel pro-
missum fuit, vel concessum. v. JOH. le PLACETTE
Observ. Hist. Eccl. de Pontif. Rom. potest. in definiendis fidei
rebus. NECTARII Patriarch. Hieros. Confut. Imp.
Papæ in Eccl. Autor Tract. de la Puissance Eccles. & tem-
porelle, & alii; primitiva purior Ecclesia eam nunquam
agnovit & credidit. v. CASP. à LILLIEN *Diss. sacr. §. 8.*
seq. p. 145. seq. ipsa semetipsam evertit. Dum enim Pa-
pa Romanus, ut infallibilis judex, aliquid definit, aut definit
id præter, aut secundum Dei verbum; si præter Dei ver-
bum, non est infallibilis, sed fallitur, cum nihil sit creden-
dum, nisi quod in sacris literis à Deo traditum. *Etiam si*
ἄγγελος ἐξ ἑρανθεὶς, angelus ex cælo (multo magis Papa, men-
dax in terris) *evangelizet vobis, πατέρες ὁ ἐυαγγελισάμενος ὑμῖν,*
præter id, quod evangelizavimus, anathema esto. Galat. I, 8.
Si secundum Dei verbum, parī modo non est infallibilis,
quia in definiendo ductum verbi divini sequi debet, & in



quantum eum non sequitur, iterum fallit & fallitur, nec decreta, quæ definit, principii vicem obtinere possunt, sed verbum Dei ad cuius dictum fuerunt definita; Et si exinde quis Papam infallibilem dicere velit, pari modo quivis aliis minister Ecclesiæ infallibilis esset, & extra errorem positus, in quantum etiam scripturæ sacræ dictum sequitur. Papa utique errare potest. v. DAN. CHAM. *Panstr. Cath. T. I. L. III. c. 3. p. 76. sq.* D. SAM. HVBER. *Anti-Bellar. L. I. Cornel. Bep. c. XI. XIII. p. 95. seqq.* & multoties erravit, quod vel tot erronea Papistarum dogmata, ab ipso Papa de cathedra sancita, ad oculum testantur, ut nihil dicam de decretis Pontificum, quorum non pauca sibi invicem contradictorie repugnant. v. D. JAC. HEILBRVN. *Uncath. Pabstth. Art. XIV. c. I. p. 283.* Ej. Fernere Offenbahr. des Uncath. Pabstth. *T. I. c. I. p. 74. sq.* D. ABR. CALOV. *Syst. Theol. T. I. C. III. Sect. 2. qu. 7. p. 376. seqq. 383.* & D. NIC. HVNNII *Bell. Ovin. §. 123. p. 118. seq. ubi triginta & duæ contradictiones decretorum Rom. Pontificum leguntur.* Testimonia etiam ipsorum Pontif. Rom. de suis erroribus in peculiari Dissert. collegit M. FRID. ERN. KETTNER. postea S. Th. Doct. & Sup. Quedlinb. *vñ
ēv oøylois.*

*Papæ tamen
tribuitur.*

§. XVI. Nihilominus tamen talem infallibilitatem Papæ Romano adsignat Ecclesia Pontifica. In loco ex ABRAH. BZOVIOS supra exscripto §. 9. Titulus 14. Papæ adscriptus, ita habet. *Nec falli, nec fallere sciens.* & hoc etiam sine adhibito singulari studio, uti GREGOR. VALETIAN. in *Analys. fidei L. IX. c. 4.* expresse docet: *Sive Pontifex in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat, modo tamen controversiam definiat, infallibiliter certe definiet.* ap. D. JOH. GEORG. DORSCH. in *Theol. Zach. P. II. p. 89.* Sic etiam in DECRET. P. I. dist. 19. c. 2.

omnes



omnes sanctiones apostolice sedis ut irrefragabiliter obser-
vandæ proponuntur, & juxta l. c. P. II. Caus. 25. qu. 1. c. 5. In
spiritu S. blasphemant, qui sacros canones violant; c. II. l.c.
Anathema apud Deum fiat, qui censuram Rom. Pontificum
violat. ROB. BELLARM. l.c. T. I. L. IV. c. 3. 4. 5. 6. p. 311.
seqq. Pontificiorum doctrinam in his quatuor propositio-
nibus proposuit: Prima est. *Summus Pontifex, cum to-
tam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo
casu errare potest.* Altera hæc: *Non solum Pontifex Rom.
non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ec-
clesia.* Tertia hujus tenoris: *Non solum in decretis fidei
errare non potest summus Pontifex, sed neque in præceptis
morum, quæ toti Ecclesiæ prescribuntur.* Et quarta ita ha-
bet: *Probabile est, pieque credi potest, summum Pontificem
non modo ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut parti-
cularem personam hereticum esse non posse, falsum aliquid
contra fidem pertinaciter credendo.* Quibus omnibus in-
fallibilitas ejus omni modo stabilitur. Si enim in nullo
casu Papa errare potest, nec in fide, nec in præceptis mo-
rum, nec ut Pontifex, nec ut persona privata infallibilis sit,
necessæ est. Quod pari modo etiam JAC. GRETSER.
T. II. defens. Bellarm. L. IV. c. II. aperte pronunciat: *Pa-
pa, qua talis definiens aliquid non modo cum concilio genera-
ti errare non potest, sed nec solus & absque concilio, at con-
cilium sine Papa errare potest.* Hinc major est autoritas
Papæ, quam concilii, præsertim cum sumto & juncto etiam
Papa cum concilio, omnis concilii infallibilitas derivetur à
Papa, non vice versa. ap. D. JOH. GEORG. DORSH.
in Val. triumph. contra Corn. p. 275. Ergo ita infallibilis cre-
ditur Papa, ut & infallibilitas concilii ab eo derivari possit.

§. XVII. Varias quidem Pontificii excogitarunt di- Eorum distinctiones rem non explicabo-
stinctiones, quibus doctrinam de infallibilitate Papæ salvare



cant, sed im-
plicant. allaborant. Infallibilis ipsis est non ut persona privata, sed publica, ut Pontifex; si nempe legitime electus, si pro cathedra definiat, si adhibeat diligentiam, quantum res postulat; errare quidem potest, & hereticus fieri, non autem in fidei judicio *contra fidem definire*, errare potest in *præmissis*, non autem in *conclusione* seu *definitione ipsa*, in *questiōnibus facti*, non *juris*, in *temporalibus*, von vero in *spiritualibus*, in *definitionibus particularibus*, non iis, quæ in tota Ecclesia credenda definiuntur &c. Sed eadem omnes doctrinam hanc nec tuentur, qua de re etiam hoc loco non est quæstio, alias etiam D. ABRAH. CALOV. l.c. p. 387. sq. omnia Bellarmini argumenta & exceptiones fuse & docte refutavit; nec emolliunt, cum nec ipsis, qui iis utuntur, secum, nec cum aliis congruant, ut vel ē §. *præced.* videre est, ipsæ hæ distinctiones sibimet ipsis contrariantur, e.g. ex falsis *præmissis* non potest vera inferri conclusio; nemo etiam Papistarum juxta domestica sua principia infallibiliter certus esse potest, utrum Papa, quem tamen infallibilem credit, sit legitime electus, & verus Pontifex, immo nec Pontifex ipse, quod & ROB. BEL-LARM. concedit, & ubi de Formoso disputavit, utrum legitimus Papa fuerit, nec ne, ita concludit: *In quilibus questionibus non negamus posse errare Pontifices, & de facto errasse Stephanum, nempe Sextum & Sergium, nempe tertium l.c. L. IV. C. 12. p. 327.* & sic sibi ipsis in §. *præced.* contradicit. Ubi vero quis non fuit legitimus Pontifex, sine dubio irrita erunt omnia ejus acta, dicta & decreta, adeoque non infallibia, sed re ipsa fallibilia & fallentia, quæ tamen ab eo, qui Papam pro legitime electo agnoscit, infallibia habentur. Papa ergo, prout quidam eum pro vero agnoscit, vel, non agnoscit, infallibilis erit, vel non, adeoque infallibilitas ejus vel simpliciter debet credi, vol plane non creditur.

§. XIIX.



§. XIIIX. Id equidem non inficiamur, esse etiam in *Ipsa etiam in-*
ipsa Ecclesia Pontificia, qui infallibilitatem Papæ hoc mo- ter se discri-
do non agnoscant. Ipse ROB. BELLARM. l.c.C.2. p.311. ^{pant.}
E. fateri necessum habet, quosdam in hac sententia esse:
Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum, & doce-
re hæresin, si absque generali concilio definiat, & de facto
aliquando accidisse. Imo extant hac de re propriæ Ponti-
ficum & Pontificiorum confessiones. Sic D. ABR. CA-
LOV. l.c. p.386. adducit verba ADRIAN. VI. L. IV. sen-
tent.de sacram.confirm.art. 3. qui ait: Certum esse, quod Pon-
tifex possit hæresin per decretum asserere. Si hæresin af-
ferere potest, est fallibilis, si per decretum, potest etiam ut
Pontifex hæreticus fieri, si hoc certum est, ergo incerta
omnia, quæ de infallibilitate ejus dicuntur. Et quis nescit
ea, quæ nostra ætate de Bulla Clementis XI. Unigenitus, in-
ter ipsos Pontificios disputata sunt, & adhuc disputantur, quæ
etiam magna ex parte infallibilitati Papæ sunt opposita.
Sed quid hæc ad nos? ipsi videant, quomodo convenienter
inter suos fratres; & utrum revera non dissideant inter se,
ut ROB. BELLARM. l. c. E. arbitratur, ubi etiam hanc
communissimam opinionem fere omnium Catholicorum esse
asserit: Pontificem, sive hæreticus esse possit, sive non, non
posse ullo modo definire aliquid hæreticum a tota Ecclesia
credendum. Hæc vero aut vera non sunt, aut Ecclesia Pon-
tificia infallibilitatem Papæ credit & tuetur, & eo ipso Pa-
patriam committit.

§. XIX. Alterum Dei attributum, quod Papæ ido- *Papæ tribui-*
lolatrice tribuitur, est OMNIPOTENTIA, seu potestas illa ^{tur divina}
maxima in spiritualibus & temporalibus Papæ Rom. ad- ^{omnipotentia,}
scripta. Solus Deus est omnipotens, quod vel ipse terminus ^{que foli Deo}
propria.
& natura rei indicat. Ut enim omnipotentia vi vocis
nihil aliud est, quam potentia super omnia, ita & nulli potest
com-



competere, quam qui Dominus super omnia entia, qui solus est Deus Trinus. Deus non potest esse Deus, nisi sit omnipotens, alias enim esset sub potentiori, quod contra Dei naturam, & qui omnipotens est & dicitur, non potest non esse Deus. *Ego, inquit ipse Dominus, אֶלְוָה אֱלֹהִים omnipotens. Gen. XVII, 1. XXXV, 13. XXXIX, 3. Exod. VI, 3.* i. e. qui omnia entia destruere, & in nihilum redigere potest, ipse vero γενικός sufficiens, & sufficientissime potens est & erit. *Κύριος παντοκράτωρ. Dominus omnipotens. 2. Corinth. VI, 18. Apoc. I, 8. II X, 14. XVI, 6. 15. XXI, 22.* Ipsi omnia sunt possibilia, παρὰ τῷ Θεῷ πάντα δύναται εἶναι. *Matth. XIX, 26. ipsi nihil impossibile; ἐκ αἰδοντῆσι παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν εἴημα, non est impossibile apud Deum ullum verbum. Luc. I, 37.* i. e. nulla res, sive quicquid habet rationem entis, & nullam contradictionem vel ex parte Dei productentis, vel ex parte rei producendae involvit. Ipse δύναμις ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ εἰς περισσότερον potens super omnia facere superabundanter, quæ petimus aut intelligimus, κατὰ τὴν δύναμιν, secundum potentiam, qua operatur in nobis. *Eph. III, 20.*

Papæ nullo modo competit.

§. XX. Omnipotentia ergo, seu talis summa & infinita potentia Papæ Romano nullo modo, nec sub specie veri competere potest. v. D. JAC. HEILBR VNN. Uncath. Pabstth. Art. XIV. c. 1. p. 272. seqq. Ej. Fernere Offenbahr. des Uncath. Pabstth. T. I. p. 26. sq. 78. sq. D. JOH.GERH. Confess. Cath. L. II. P. I. Art. III. cap. 1. p. 524. seqq. cap. 5. p. 641. seqq. cap. 9. p. 840. seqq. D. SAM. HVBER. l. c. c. IV-X. p. 26. seqq. Verissima sunt, quæ in FORM. CONCORD. & Artic. Smalcald. p. 340. leguntur verba: *Romanus Pontifex arrogat sibi, quod jure divino sit supra omnes Episcopos & Pastores. Deinde addit etiam, quod jure divino habeat utrumque gladium, hoc est autoritatem etiam regna*



regna conferendi & transferendi. Et tertio dicit, quod hæc credere sit de necessitate salutis, & propter has causas Romanus Episcopus vocat se Vicarium Christi in terris. Hos tres articulos sentimus falsos, impios, tyrannicos, & perniciosos Ecclesie esse. Olim enim non erit sic. v. JOS. ARND. Lex. Antiq. Eccles. p. 793. sq. imo Gregor. Magnus, Pontifex Romanus, ad exemplum Pelagii II. Antecessoris sui, titulum & nomen universalis & oecumenici Episcopi, quod illo tempore Johannes, Patriarcha Constantinopolitanus affectavit, & cui in posterioribus temporibus tota moles papalis omnipotentia superstructa fuit, pro novo, profano, scelesto, superbo, nefando, perverso, Antichristiano, pro nomine erroris & blasphemie habuit; ipsa ejus verba magno numero leguntur in D. JOH. GERH. Confess. Cath. l. c. p. 525. seqq. & in ipsis etiam DECRET. P. I. Dist. 99. C. 3. 4. & 5. ex epistolis hujus Pelagii & Gregorii præcipitur, ut primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum vel Summus Sacerdos, nec etiam Romanus Pontifex universalis Patriarcha, aut universalis Papa. Sic enim l. c. PELAG. scribit: *NVL-LVS PATRIARCHARVM VNIVERSALITATIS VOCABULO VNQVAM VTATVR, quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* -- *Quapropter charitas vestra NEMINEM VNQVAM suis in epistolis VNIVERSALEM NOMINET, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem defert indebitum.* It. GREGOR. Ecce, in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxisti, superbae appellationis verbum, VNIVERSALEM ME PAPAM dicentes imprimere curasti, quod peto dulcissima mibi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratiō exigit, præbetur. - Si enim VNIVER-

D

SALEM



*SALEM ME PAPAM vestra sanctitas dicit, negat se
hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc.*

*Sed adscribi-
tur Papa po-
tentia maxi-
ma, absoluta,
infinita, imo
omnipoten-
tia.*

§. XXI. Hoc tamen non obstante successu tempori sedes papalis hæc omnia ad se traxit, & ad tales ac tantam divinæ omnipotentia coæqualem potentiam & potestatem crevit, quæ etiam a gnathonibus & parasitis suis tam impudenter fuit propugnata, ut DESIDER. ERASM. Roterod. in Annos. ad N.T. p. 33. ap. D. ANDR. KESLER. in Bello Rel. Chr. § Pap. c. 3. p. 113. suo tempore fuerit teſtatus, quod Papæ potestatem Christo parem tribuant. Noti quippe sunt verſiculi :

*Papa sua triplicem prætendens fronte coronam
IMPERIVM COELI & TERRÆ sibi sumit & ORCI.
& non infrequens olim in Papatu eloquium: Papa omnia
potest. Papa est super omnia. Papa idem habet Consistori-
um cum Deo, & idem tribunal cum Christo. Ejusmodi flo-
sculi multi leguntur non tantum apud Papistarum Legistas
& Canonistas. J. BALDVS in proœm. decret. n. 6. Papam
dixit DOMINVM DOMINORVM, quantum ad potesta-
tem. & in Decret. P.I. Dist. 96. C. 7, ostenditur, a ſeculari
potestate nec ligari prorsus nec solvi posse Pontificem,
quia DEVS appellatur, & Deus non potest ab hominibus ju-
dicari, conf. THEOL. & POLIT. Stat. Ausführ. war-
um die Chur- und Fürsten ic. das Concil. Trident. nicht be-
ſuchen kön̄en, p. 279. seqq. ubi ultra centum hujus commatis
pronunciata leguntur. Sed & alios, ut BERN. JVSTI-
NIAN. Papa R. est SVMMI DEI LOCVM inter mor-
tales obtinens, quo nihil majus in terris dici aut fingi potest,
cum cuius COELESTI MAJESTATE nullum dia-
dema aut imperium comparetur, cui claudere cœlos &
aperire, detrudere ad inferos & eruere, quoscunque velit,
concessum. ERASM. VITELLIVS: Papa R. est totius
orbis*



orbis moderator, cui a Deo RERVM OMNIVM tributa POTESTAS. CORN. MVSSVS in C. 13. ad Rom. p. 571. Papa ipse est, in cuius dominio cuncta sunt posita, & non est, qui suæ resistri possit voluntati. v. D. J. G. DORSCH. Anti-Kirch. p. 117. 118. 119. 127. AVG. BEROJVS in C. cum tamen num. 1. de usuris: Papa ea potest in terris, quæ Deus potest in cælis. v. D. LEONH. HVTTER. l.c. CATALD. de BONCOMPAGN. de pot. Pap. §. nec mirum, n. 81. Papa est OMNIA, & SVPER OMNIA. PETR. ALBIN. TRETIVS de Pontif. pot. §. divini numinis. n. II. 14. 15. Bene dici potest de jure Papam PENE OMNIA POSSE, QVÆ DEVS POTEST, excepto peccato. In omnibus & per omnia potest Papa dicere & facere, quicquid placet. Non habet superiorem & ipse EST SVPER OMNIA. v. D. BEN. CARPZ. l.c. §. 17. Adscribitur ipsi absoluta potestas. Sic BERTACHIN. in Repert. in dict. Papa, dicit: Quod de POTESTATE ABSOLVTA possit, quicquid vult, quod Papa sit causa causarum, quod non sit de potestate ejus inquirendum, cum prime cause nulla sit causa. Infinita potentia; in Libro enim Cerem. L.I. Sect. 7. p. 85. dicitur: quod Papa in nocte nativitatis dominice benedicat ensem in signum INFINITÆ POTENTIAE sibi datae juxta illud: Mibi data est omnis potestas. ap. D. JOH. GERH. l.c. p. 944. & AVGUSTIN. TRIVMPH. Anconit. in pref. Summ. de Pot. Eccl. pari modo asserit: Potestatem Papæ esse INFINITAM, eo, quod magnus dominus, & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non est finis. v. D. J. G. DORSCH. l.c. p. 126. & D. WILH. LYSER. l.c. §. 97. p. 68. Potentia super angelos. Hanc propugnat AVG. TRIVMPH. in Summ. de Pot. Eccl. qu. 18. PAPA MAIOR EST ANGELIS in quinque, in jurisdictione, in Sacramentorum administratione, in dominatione, in cognitione, in præmio. Nulla



li enim angelo commissa est jurisdictio & cura totius orbis ; sed Papæ totius mundi jurisdictio & cura est commissa. ANTONIN. Florent. in Summ. Th. Part. III. tit. 22. c. 5. dictum de Christo Ps. VIII. Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c. de Papa, ut ipse loquitur, vult verificare, hoc modo : Apropter, quod ipse est Vicarius Christi ; quoad terrestria dicit oves, quoad cœlestia dicit volucres, quoad infernalia dicit pisces maris. Per volucres cœli designari angelos bonos & malos, habetur in Evangelio, dicuntur autem ei subjecti, quod MAJOR EIS in quatuor videlicet : in jurisdictione, in sacrorum administratione, in cognitione, in præmio. NICOL. EYMUNDANO ap. J. Balæum de Vita Pontif. in Clem. VIII. Papa est omnium rerum, cœlestium, terrestrium & subterraneorum dominus, & habet IMPERIVM IN ANGELOS & DÆMONAS. v. D. WILH. LYSER. l.c. p. 67. D. J. G. DORSCH. l.c. p. 122. D. LEONH. HVTTER. Il. mal. regni Pontificii p. 6. Sic nota est bulla Clem. VI. super anno jubilæo an. 1350. data; ubi angelis imperat : Prorsus, inquit, mandamus Angelis Paradisi quatenus animam a purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant. ap. D. JOH. GERH. l.c. p. 948. & aliam ejusdem tenoris an. 1313. a Clem. V. datam adducit D. GEORG. LEHM. in Diss. de Potest. Eccl. §. 12. p. 14. Imo omnipotentia, ubi THOM. MARIA CARAFFA Papam, Paulum V. expressis verbis dixit : PONTIFICIÆ OMNIPOTENTIÆ Conservatorem acerrimum, conf. supra §. XI. & Canonistæ eum hæreticum pronunciant, qui ausit in disputationem vocare, num Papa sit omnipotens. v. D. L. HVTT. l.c. p. 7.

*EIAM in tem-
poralibus.*

§. XXII. ROB. BELLARM. hanc papalem omnipotentiam pari modo omni molimine defendere conatur, l.c. in controv. tertia gener. ibi prefat. præmisit de magnitudine rei. p. 189. ubi aperte profitetur : quando de Primatu Ponti-



Pontificis agitur, de summa rei Christianæ agi. & p. 192.
varios autores, Polonos, Gallos, Germanos, Anglos, Hispanos, Italos, Græcos recenset, qui pro Summi Pontificis au-
toritate scripserunt, ut commento suo robur addat. Ipse
etiam in toto *Libro quarto* p. 310. seqq. summam ejus pote-
statem spiritualem asserit. In *Libro quinto* p. 344. seqq. de
temporali etiam ejus potestate agit, dum vero affirmat:
Papam nullam habere temporalem jurisdictionem direcťe
jure divino, licet statim addat: Papam habere summam
temporalem potestatem indirecťe, & adeo lectoribus fucum
tantum facere videatur; nihilominus tamen hoc Sixto V.
Papæ Rom. ita displicuit, ut parum absuerit, quin omnia
eius Opera Pontificia censura fuerint notata & abolita, uti
JOH. BARCLA JVS, JCt. Pontif. in *Libr. de Pot. Pap.*
Cap. 13. p. 101. quod contra temporalem Pontificis potesta-
tem scripsit, & sub titulo *Vindiciarum contra Bellarmi-*
nūm defendit, ex ore illius ordinis patrum, cuius tunc erat
Bellarminus, testatur, ap. D. JOH. GERH. l. c. p. 849. &
Bellar. etiam hac in parte ab ANGELO CARE RIO,
*Pontificio, L. II. de *Pot. Rom. Pontif.* fuit refutatus; uti e*
contrario ab ADOLPH. SCHVLCKEN. Th. D. &
*apud Ubios Prof. in *Apologia pro Bellarmino de potestate**
Rom. Pontif. temporali defensus. Ex quo videre est, Pon-
tificem Rom. eos plane ferre non posse, qui vel minimum
papali ejus omnipotentię detrahere videntur, ut nesciam,
utrum veritati consentaneum sit, quando ROB. BEL-
*LARM. L. V. c. I. p. 344. suam thesin vocat *Catholicorum**
Theologorum communem sententiam; Quare etiam idem
Sixt. V. l. c. in Bulla contra Henric. III. Regem Galliarum,
aperte pronunciat: se supremam in omnes Reges & Princi-
pes universæ terræ, cunctosque populos, & gentes, & natio-
nes non humana, sed divina institutione sibi traditam pote-



statem obtinere, quæ vero nulla alia est, quam quæ soli Deo
 & Christo competit, qui dixit: בָּרַךְ יְהוָה־מֶלֶךְ־יִשְׂרָאֵל Per
me reges regnabunt. Prov. II X, 15. Huc etiam faciunt ver-
 ba CELSI MANCINI in Tract. de Jur. Princ. L. 3. cap.
 I. & 2. ap. D. J. G. DORSCH. in Pentadec. Diss. XIV. §.
 43. p. 506. quando scripsit: In Pontifice summo est utravis
 potestas seu jurisdictio, spiritualis & temporalis, & uti
 omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam
 in temporali, adeo, ut liceat de Christi Vicario illud similitu-
 dine quadam afferere, quod Plato in Timæo dixit de Deo,
 quidnam esset Deus, respondit: Non est homo, non cætum,
 non bonum, sed quid præstantius, Roget quis an summus Pon-
 tifex sit Dux, Rex, Imperator, anve Princeps, caute respon-
 debit, si negando affereret, ESSE QVID PRÆSTANTIVS.
 Sic Ecclesia ex mente Pontificiorum est MONARCHIA
**EXTERNA SVPREMA TOTIVS ORBIS TERRA-
 RVM**, in qua oportet Romanum Pontificem habere potesta-
 tem ἀντιπέδυσην, de qua nemini licet disputare, aut judicare,
 condendi articulos fidei, abolendi scripturas, quas velit, in-
 stituendi cultus & sacrificia. Item condendi leges, quas
 velit, dispensandi & solvendi, quibuscumque legibus velit,
 divinis canoniciis & civilibus, a quo Imperator & reges
 omnes accipiunt potestatem & jus tenendi regna de manda-
 to Christi, cui, cum Pater omnia subjicerit, intelligi oportet,
 hoc jus in Papam translatum esse. Quare necesse est, PA-
 PAM, DVM TOTIVS ORBIS TERRARVM, OMNIVM
 REGNORVM MVNDI, OMNIVM RERVM PRIVA-
 TARVM ET PVBLICARVM, HABERE PLENITV-
 DINEM POTESTATIS IN TEMPORALIBVS ET
 SPIRITALIBVS, HABERE VTRVMQVE GLADIVM
 SPIRITVALEM ET TEMPORALEM. in FORM.
 CONC. in Apolog. Aug. Conf. Art. IV. p. 149. conf. quæ su-
 pra



pra§. XII. adduximus, & qui ex professo inter Papistas de
hac materia scripserunt: CATALD. de BONCOMPAGNO de Potestate Papæ. LÆL. ZECCH. de Rep. Eccl.
JOH. à CAPISTRANO de Autor. Pap. & Concil. JOH.
HIER. ALBAN. de Potest. Pap. ANGEL. CARER. de
Potest. Rom. Pontif. THOM. BOZIVS de Jure Eccl. Li-
bert. & pot. ABRAH. BZOVIVS de Pontif. Rom. JOH.
LAVR. CZEPAŃSKI Controv. Orient. & Occid. Eccl. de
Subiecto pot. Eccl. JOH. FRANC. BESEL. de Statu
Rom. Eccl. aliive quamplurimi, qui conjunctim leguntur
in JOH. THOM. de ROCABERTI, Arch. Valent. Bi-
bliotheca Maxima Pontific. ex 21. Tomis constante.

§. XXIII. Progredimur jam ad aliud argumentum, *Papæ tribu-*
quod Papolatriam Papicolarum arguit. Hoc præbent *untur opera,*
OPERA & instituta, quæ Papæ ipsorum tribuere non ve- *& instituta*
rentur. Summum & præcipuum Dei beneficium & in- *divina, e.g.*
stitutum est sacrum ejus verbum, & *scriptura canonica,* *circa Script.S.*
hanc totam per Prophetas V. T. & Evangelistas ac Apo- *que a solo Deo*
stolos N. T. ceu viros sacros *nobis manife-*
ullo errore nobis consignatam dedit. *stata, & pre-*
Non enim libitu ho-
minis, allata est olim prophetia, sed ὑπὸ πνεύματος ἀγίας Φερό-
μέναι, acti a spiritu sancto locuti sunt οἱ ἄγιοι θεοὶ ἀνθεωποι san-
cti Dei homines. 2. Petr. I, 21. Ipsæ etiam scripturarum li-
teræ sunt Ἱερὰ γράμματα. 2. Tim. III, 15. & Spiritus S. ipsis
τὸ πῶς καὶ τὶ suggeſſit. Matth. X, 19. 20. ut adeo πᾶσα γραφὴ
θεόπνευſos, tota scriptura divinitus inspirata. 2. Tim. III, 16.
Totam ut canonem *αὐτόπιον* & perfectam regulam quoad
doctrinam fidei & morum nobis præscripsit; nam τὰ Ἱερὰ¹
γράμματα sunt τὰ δυνάμενα σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, quæ possunt
sapientem reddere ad salutem, & tota scriptura divinitus
inspirata ὡφελιμος utilis ad doctrinam ad redargutionem, ad
correctionem, ad disciplinam in justitia. Ut sit ἀρτος per-
fectus



fectus homo Dei, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. ad omne opus bonum perfecte instrutus. 2. Tim. III, 15. 16. 17. quæ nec additionem, nec diminutionem patitur. Unamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam observantes facite, וְלֹא תַגְעֵן מִמֶּנּוּ : לֹא דָסֶף עָלוֹת ne addito ei, detrahit ex ea. Deut. XIII, 1. Testor cuivis audienti verba prophetiæ libri hujus, εἰπὲ τις ἐπιτηδῆ πρὸς ταῦτα, si quis adiicerit ad hæc, imponet ei Deus plagas, scriptas in libro isto. Καὶ εἰπὲ τις ἀφενῆ ἀπὸ τῶν λόγων βιβλίου τῆς προφητείας ταύτης, Et si quis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus ex libro vite, ὁ, ex urbe illa sancta, καὶ τῶν γεγραμμένων ἐν βιβλίῳ τέτω, ὁ ex iis, quæ scripta sunt in libro isto Apoc. XXII, 18. 19. in nullo fidei articulo. Nemini quicquam licet dicere vel statuere extra scripturam; εἰπὲ εἰπὲ τῷ προφητῶν. Act. XXVI, 22. nec sapere ὑπὲ τῷ γέγραπτῷ, præter & ultra id, quod scriptum est, 1. Cor. IV, 6. זה הורך Hæc ista via est, incedite per eam. כי תאמינו וכי תשmaiロּ : aut quum dextram, aut quum sinistram petiris, semel & semper dixit divina veritas in omnibus, quæ ad fidem & mores pertinent. Jes. XXX, 21. etiam si angelus ex cœlo evangelizet vobis, παρὰ ὁ ἐνηγγελισάμενος υἱοῦ, præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto. Gal. I, 8.

Sed Papa
Script. S.
detrahit.

§. XXIV. Talis angelus, an bonus, an malus, res ipsa docet, est Papa Romanus, Papicolarum idolum cum suis asseclis; qui omnia hæc nihil habet, & plane divinam majestatem & credendi, quicquid velit, & faciendi, quod libet, vel spreto Dei verbo, vel instar nisi cerei detorto & distracto, & pro autoritate aliis credendum & faciendum mandandi sibi arrogat. Sic **Papa** **SCRIPTVRÆ SACRÆ DETRAHIT**. Manifestum hoc facit furtum & sacrilegium Papæ in punto *subtractionis calicis in S. Cœna*. Quod usus



usus S. Cœnæ integer sub utraque specie panis & vini a Christo sit institutus, nullus forsan mortalium, qui sacra Biblia legit, & pro Dei verbo habet, ibit inficias; Ut enim de pane consecrato dixit: *λέετε, Φάγετε;* sic pari modo de consecrato vino in calice: *Πίετε ἐξ αὐτοῦ,* imo adhuc addidit: *πάντες*, quod de consecrato pane non ita expressum legitur. Matth. XXVI, 26. 27. Hæc Christus; sed quid facit Papa Romanus? detrahit verbis Christi *τὸ πάντες*, & sanguine Christi in consecrato calce, laicos, imo clericos non consecrantes privat & spoliat. Postquam enim ultra mille annos usus sub utraque in Ecclesia sartus tectus servatus fuerat, in Concilio definitum CONSTANTIENSI anno 1415. d. 15. Jul. Sess. 13. communio sub una specie fuit decreta, protervis his verbis, Christo in faciem contradicentibus: *LICET CHRISTVS suis discipulis administraverit SVB VTRAQUE specie panis & vini venerabile hoc sacramentum, tamen HOC NON OBSTANTE communio nem tantummodo SVB SPECIE PANIS habendam esse pro lege, quam non liceat reprobare.* in Concilio postmodum TRIDENT. an. 1562. d. 16. Jul. Sess. 21. sub anathemate corroborata; Sic enim habet Canon. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles VTRAMQUE SPECIEM sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Can. 3. *Si quis negaverit totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, SVB VNĀ PANIS SPECIE sumi, quia, ut quidam false asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit:* Et bene etiam notanda sunt verba, quæ l.c. Cap. I. leguntur: *ETSI CHRISTVS Dominus in ultima cœna venerabile hoc sacramentum IN PANIS ET VINI SPECIEBVS instituit, & Apostolis tradidit, NON*

E

TA-



TAMEN illa institutio & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles, statuto domini ad utramque speciem adstringantur. & Cap. III: QVAMVIS Redemptor noster in suprema illa Cœna hoc sacramentum IN DVA-BVS SPECIEBVS instituerit, & Apostolis tradidetur, TAMEN facendum est, etiam SVB ALTE-RA TANTVM SPECIE totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, quæ plane ad insolentem modum Concilii Constantiensis dicuntur. Et in hunc usque diem in Ecclesia Pontificia rigidissime servata, ut nec preces & suspiria, nec postulata, nec ipsa Christi verba eam sub utraque a Papa, Papicolarum Vice-Deo, extorquere potuerint. conf. D. AVG. PFEIFFER. Act. rei amotæ contra Papam in punto substrati sacri calicis, & inter ipsos Pontificios GEORG. CASSANDR. Dialog. de Commun. sub utraque specie, quæ simul cum D. GEORG. CALIXT. Dis-sert. de eadem controversia est impressa. Huc etiam pertinet clausula orationis dominicæ, ὅτι σὲ εἰσὶν οἱ βασιλεῖς, καὶ οἱ δύναμις, καὶ οἱ δόξαι εἰς τὰς αἰώνας. Ἀμén. Quia tuum est regnum, & potentia & gloria in secula. Amen. Matth. VI, 13. quam Scripturæ S. abjudicat ROB. BELLARM. ita enim de eadem scribit in Controv. Christi fidei T. IV. tert. Controv. gen. tert. contr. princip. de bonis operibus in part. L. I. C. 6. p. 429. Certum est, EA VERBA NON ESSE DE TEXTV EVANGELII, SED INSERTA fuisse a Græcis ex consuetudine, quam habent ea verba recitandi post orationem dominicam in sacrificio Missæ. Nam Latini etiam antiquissimi, & græcae linguae periti, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus nullam horum verborum mentionem faciunt. Videtur igitur illa esse appendix quæ-



quædam orationis dominicæ apud Græcos, sicut est apud Latinos illud: *Libera nos quæsumus, domine, &c.* Nam sicut apud nos non continuantur hæc verba cum oratione dominica; ita neque apud Græcos continuantur, ut perspicuum est ex *Liturgia Chrysostomi*; quæ vero nimis audacter pronunciantur. Latinorum silentium nihil probat contra græcum textum authenticum, & græcis opponimus exemplaria antiquissima græca & Syriaca, in quibus verba hæc leguntur, ut & omnes prope interpretes græcos, quod etiam Bellarminum latere non potuit & tamen non erubescit, clausulam hanc orationis dominicæ e textu Evangelico statim expungere, cui, in quantum mihi innotuit, nemo ex suis contradixit, ut jam tacet Leon. X. ipsum Papam, de quo *Balæus & Jovellus* refert ap. D. JOH. GERH. l. c. p. 946. quod *Evangelium* appellavit *fabulam de Christo* adeoque omnem ei divinitatem detraxerit. In ipsos ergo Pontificios, quod MART. BECAN. in *Manual. Controv. L. I. C. I. qu. 1.* p. 3. ad nos ἀλόγως applicuit, melius quadrat, quod de Manichæis AVGVSTIN. in *Libro de bono persev.* Cap. II. scripsit: *Scripturas sic accipiunt, ut suo quædam privilegio, imo sacrilegio, quod volunt, sumant, quod NOLVNT, REJCIANT.*

§. XXV. Papa SCRIPTVRÆ s. ADDIT. Ad-
dit eidem ceu libros canonicos omnes illos, quotquot
in veteri Vulgata versione latina inveniuntur. Fusæ de
iisdem agit ROB. BELLARM. l. c. T. I. L. I. C. 4. 5.
p. 4. seqq. brevius MART. BECAN. l. c. refutatus a
D. VALENT. VELTHEM. in pec. Diff. de canone;
siquidem fundamentum, cui hoc assertum superstruitur,
est valde lubricum, quia nempe a Concilio Tridentino
pro canonicis fuerunt agniti, id quod idem ab aliis con-



ciliis per traditionem accepisset; quasi vero concilium quoddam, vel tale conciliabulum, quale Pontificii jactitant, libros pro canonicis declarare posset, quos Christus & Apostoli pro iis non habuerunt, & nuspian ut tales citarunt, quive & inter se, & cum aliis vere canonicis libris in multis pugnant. *Concil.* tamen *TRIDENT.* *sess. 4.* in *decreto de canonicis script.* hos libros omnes pro canonicis declaravit, & anathema ei dixit, qui libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverant, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non suscepere. Addit eidem *traditiones ἀγράφες*, & non scriptas, ceu creditu necessarias ad vitam & salutem. Sic declarat *Concil.* *TRIDENT.* *l.c.* & *traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes pari pietatis affectu* & reverentia suscipit & veneratur. Agit de iisdem *MART.* *BECAN.* *l.c. C. 2.* *p. 22. seqq.* & *ROB. BELLARM.* *l.c.* totum *Librum quartum conscripsit de Verbo Dei*, ut ipse appellat, *non scripto*, sive *traditionibus*, quas in divinas, apostolicas & ecclesiasticas divisit, & in eo totus est, ut & eas esse, & necessarias esse ostendat; in quibus omnibus vero aërem ferit; licet enim eadem omnia, quæ de iis profert, essent vera, quæ vero non sunt vera, nihil tamen lucratur, cum potius easdem adducere debuisse, & probare, quod sacris literis sint conformes, alias enim nec esse possunt, & etiamsi sint, non necessariae essent, sed supervacaneæ, ab ipso Christo refutatae, qui παρεδότεις πρεσβυτέρων, *traditiones Seniorum rejicit.* *Math. XV.* 6. & a Paulo damnatae, qui ei anathema dicit, qui aliud evangelizat παρὰ τὸ παρελαθε, *præter id, quod accepit.* *Galat. I.* 9. nempe ab ipso Christo, & viris θεοπνεύσοις. conf. *DAN. CHAM.* in *Panstr. Cath. T.I. L. 9. C. II.* & *12. p. 154. seqq.*

§. XXVI.



§. XXVI. Papa SCRIPTVRÆ S. CONTRADI- Script. f. con-
CIT. Sic Scripturam S. à laicis legi prohibet contra tradicit. e. g.
Scripturam S. cum in eum finem sit scripta, ut legatur, cis legi prohi- Script. S. a lai-
nec intelligi possit, cum tamen debeat, nisi legatur, & ne- bet contra
mo nostrum ἀντίκριος fuerit oraculorum divinorum. v. D. Script. S.

JOH. CONR. DANNH. *Hodosoph. Christ. Phœn.* I. p.
m. 86. seqq. & DAN. CHAM. *I. c. L. 10.* toto p. 178sq.
Oracula divina apertissima sunt: *Et erunt verba ista, quæ*
ego præcipio tibi hodie: עלי־לבך in corde tuo. Eaque
acute ingeres filii tuis, וברת בְּךָ וּלְךָ loqueris de eis,
quum sedis domi tuae, ו quum ambulas per viam, quum
cubas, ו quum surgis. *Etiam alligabis ex עלי־ירך* su-
per manum tuam, ו erunt pro frontalibus *inter oculos tuos.* ו כתבה ו inscribes ea postibus domus
tuae, ו portis tuis. *Devt. VI, 6-9.* Ερευνατε τοις γεωφασ. Scrutamini Scripturas. *Joh. V, 39.* ubi ερευνατε est imper-
ativus, non indicativus, alias Christus laudasset Ju-
dæos, non tantum obiter scripturam legentes, sed & sen-
sum ejus accurate perscrutantes, quod tamen non fece-
runt; & etiam si pro indicativo habeatur, a Christo tamen
illud scrutinium non prohibetur, ut Papa facit, sed lau-
datur. Et sic etiam contradic̄tio scripturæ sacræ, est
apertissima, & eo magis horrenda, cum non tantum scri-
ptura sacra a laicis legi prohibeatur a Papa, sed & ipsa in
Indicem librorum prohibitorum ponatur, siquidem in
hoc Indice Librorum prohibitorum Romæ 1559. impres-
so, expresse legitur titulus, *Biblia probita*, notante *Sum- me Rev. Dno. D. ERN. SALOM. CYPRIAN.* in *Hil- lar. Evang. Vorbericht. C. III. §. 2.* p. 32. non tamen sine
blasphemia inter libros prohibitos numerari possunt, quæ
Deus ipse legenda mandavit. Nihilominus tamen re-
centissime *Clemens XI. P. R.* in famosa illa bulla *Unige-*



nitus, hanc etiam Quesnellii thesin, quæ octuagesima est inter rejectas. *Lectione Sacrae Scripturæ est pro omnibus, damnavit & reprobavit.* Et licet de hodierno Romano-rum Præfule, *Innocentio XIII.* fama sæpius tulerit, eum lectionem Scripturæ S. suis concedere velle, dum vero constitutionem illam, quod nuperrime adhuc nova literaria confirmarunt, simpliciter accipiendam mandat, eo ipso sibi met ipsi egregie contradicit.

*Dispensat in
prohibitis
gradibus con-
tra Script. S.*

§. XXVII. Dein dispensat Papa contra jus divinum in prohibitis ab ipso Deo consanguinitatis gradibus. Hoc praxis Pontificia ad oculum testatur. Nam Emanuel, Rex Portugalliae duas sorores, altera, cum qua pari modo matrimonium fuerat consummatum, adhuc superstite, uxores habuit. Ferdin. Rex Siciliæ, sororem patris sui, ex dispensatione Pontificis, quæ omnia tamen in lege divina severæ sunt prohibita. Nec ipsi hoc negant Pontificii, sed in thesi profitentur, quod gradus conjugii, in *Levit.* 18. § 20. à Deo prohibiti, excepto primo gradu consanguinitatis, & primo affinitatis in linea recta, quanquam nec ratione hujus inter se concordent, solos Judæos obligent, non Christianos, adeoque per Papam Rom. sint dispensabiles. v. ROB. BELLARM. l. c. T. III. de Matrim. L.I.c.27. § 28. p.546. 551. seqq. cum non sint juris naturæ, quod etiam Concil. TRIDENT. Seff. 24. de Sacram. Matrim. can. 3. sub anathematis fulmine confirmat: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis ipsorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.* Et ita contradicunt Deo, qui non tantum leges has ipse dedit, sed eas etiam juris naturæ esse verbo & facto testa-



testatus est. *Levit. XIX, 24. 26. 27.* cum alias gentes non dedissent pœnas violatorum conjugii graduum, nisi ipsa lex naturæ ipsis dictitasset hos, quibus se contaminarunt, esse prohibitos; Contradicunt Marco, qui & in N.T. moſaicam prohibitionem in casu non ducendæ uxoris fratris repetiit, & simpliciter rejecit. ἐκ ἔξει ἔχει τὴν γυναικὸν τῇ ἀδελφῷ σε. Non licet habere uxorem fratri sui. *Marc. VI, 18.* Contradicunt divo Paulo, qui conjugium cum uxore patris ut talem scortationem damnat, οὐτις δὲ ἐν τοῖς ὁρθεσιν ἐνομάζεται, quæ ne inter gentes quidem nominatur. *1. Corinth. V, 1.* Contradicunt ipſi juri naturæ. Sana enim ratio unicuique dictitat; nullam legem justo titulo datam, ab alio mutari posse, vel dispensari, quam eo, qui legem condidit, multo magis nullæ leges ab ipso Deo datae & præceptæ, ab ullo homine sunt dispensabiles, quippe qui solus εἰς ὁ νομοθέτης, unus ille legislator. *Jacob. IV, 12.* Jam vero ipſi negare non possunt, nec volunt, leges quoad gradus prohibitos ab ipso Deo datas esse, ergo Papa, qui tamen in iisdem dispensat, ea sibi sumit, quæ solius sunt Dei. v. D. CASP. ERASM. BROCHMAND. *Syst. Theol. Art. 43. de Conjug. Cap. 4.* qv. 39. p. 567. qv. 50. p. 570. DAN. CHAM. I. c. T. III. L. 18. C. 9. sqq. p. 332. seqq. Quod tamen mirum non est, cum *Glossator* dicat. *Dist. 34. Cap. 18.* quod Papa CONTRA APOSTOLVM dispensare possit. & *Causa 15. qv. 6. c. 2.* Dico, quod CONTRA JVS NATVRALE Papa potest dispensare ap. D. ANDR. KESLER. in *Bello Rel. Chr. & Pap. L. I. c. 2. n. 6. p. 99.* addit equidem: Dum tamen non contra Evangelium, vel contra articulum fidei, tamen contra Apostolum dispensat; quæ vero errorem hunc scripturæ contrarium non minuit, sed augent. nec non PHILIPP. DECIVS & QVINTIL. MAN-



MANDOSIVS ap. D. LEONH. HVTTER. l. c. p. 13. *Papa CONTRA JVS, SVPRA JVS, EXTRA JVS omnia potest, & quicquid ille vel approbat, vel reprobat, id omnes approbare vel reprobare debent.*

Nova insituit sacramenta contra Script. S.

§. XXIX. Porro *nova instituit sacramenta contra Scripturam S. Rom. Papa.* Solus Deus instituere potest sacramenta, quia solus est autor salutis nostræ, ergo solus etiam ordinare potest media salutis, Sacra menta, & ea sola sacramenta esse possunt, quæ ab ipso Deo in scriptura S. instituta sunt. Papa vero Romanus, uti ex una parte *sacratissimum eucharistiae sacramentum per notissimam κυλικηνεψιαν* contra Scripturam S. mutilavit, de quo jam egimus §. 24. ita ex altera parte contra eandem numerum sacramentorum auxit, cum juxta Script. S. duotantum esse possint, ipse vero septem fixerit sacramenta. Sic *Concil. TRIDENT.* definit *Sess. VI. can. I.* *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis, non fuissent omnia à Jesu Christo, Domino nostro, instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam SEPTEM, videlicet Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem aut matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse VERE & PROPRIE sacramentum, anathema sit.* Fatentur equidem apud ROB. BELLARM. l. c. T. III. L. I. Cap. 23. p. 41. Auctorem sacramentorum solum esse Christum, & hoc etiam profitentur in *Concil. TRIDENT.* l. c. sed ipso facto contradicunt, dum ea pro proprio dictis sacramentis agnoscunt, quæ scriptura non agnoscit. v. D. CASP. ER. BROCHM. l. c. T. II. de Bapt. c. VI. qu. 2. p. 423. seqq. Sic etiam ROB. BELLARM. l. c. c. 21. p. 37. vere asserit: *Res & verba sacramentorum ita determinata esse, ut nihil addere, minuere, aut mutare liceat;* & deinde p. 38. l. c.



I. c. quoad verba, se ita explicat: *Sex modis contingere posse formæ variationem, nimirum per additionem alicuius vocis, detractionem alicujus vocis, mutationem, ut si una ponatur loco alterius, corruptionem alicujus vocis, detrahendo vel mutando aliquam syllabam, denique per interruptionem, ut pronunciando unam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod spatum, vel loquendo aliquid impertinens, & tum demum perficiendo formæ pronunciationem.* Sed non video, quomodo hæc cum praxi Romanæ Ecclesiæ consistere possunt, quippe quæ in sacro synaxeos sacramento pro lubitu detrahit, mutat, corruptit, & unam speciem pro altera ponit. Contrarium etiam eidem est ipsum *Concil. TRIDENT.* quippe quod Ecclesiæ potestatem concedit de sacramentis disponendi, & ea mutandi. Ita enim *Seff. XXI. Cap. 2.* declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Sedeo ipso ipsi Christo, & omnibus Evangelistis contradicit. Addit equidem: *salva illorum substantia, sed hanc non curat, & suo etiam arbitrio ac juri subjicit;* dum vero sacramenta non nisi à Deo institui posse asseritur, & tamen multa a Papa esse instituta affirmatur, sequitur, quod Papa seipsum Deum faciat in condendis novis sacramentis, imo etiam superiorem Deo in mutandis sacramentis a Deo institutis. Adeoque Papa vel est Deus, condens sacramenta, vel sacramenta à Papa instituta sunt falsa, quia non nisi a Deo possunt institui.

§. XXIX. Imo, ut alia silentio præteream, Papa *Novos facit novos* contra Script. S. facit fidei articulos, quod ea omnia *fidei articulos contra Script.*

F

ad S.



ad oculum comprobant dogmata, quæ Script. S. sunt contraria, & tamen in Ecclesia Pontificia & creduntur, & docentur, & defenduntur. Septendecim tales articulos collegit D. ANDR. KESLER. in *Bello rel. Chr. & Pap. L. II. C. 2. p. 141. scqq.* Jam pauca quædam tantum attingam. Talis est apud Pontificios fidei articulus de obscuritate Scripturarum S. Scriptura S. dicit **וְאַוֹר לְرָגֵל וּבָרֶךְ** *Lucerna pedi meo verbum tuum* & **כִּי** *lux semitæ meæ. Ps. CXIX, 105.* Verbum Dei ut **αὐτόποιον**, ita **αὐτοφῶς** est. Pontificia Ecclesia docet: *Scripturam S. absque Ecclesiæ & Papæ interpretatione obscuram esse.* v. ROB. BELLARM. de *Controv. de Verbo Dei L. III. c. 1. & 3. p. 52. & 56.* Talis de invocatione sanctorum. Script. S. dicit: *Jehovam, Deum tuum timeto, וְאַתָּה תָּעַבֵּר כִּי ipsum colito. Deut. VI, 13.* & Christus explicat: *Dominum Deum tuum προσκυνήσεις, adorabis, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, & ipsi soli servies. Matth. IV, 10.* ubi exclusivam addit, & Hebraicum **לְעֹבֶד** *l. δελεύσεις per λατρεύσεις exponit, & per consequens Papistarum distinctionem inter δελεῖαν & λατρείαν rejicit.* Ecclesia Pontificia docet: *Sanctos sive angelos, sive homines pie & utiliter a viventibus esse invocandos.* v. ROB. BELLARM. l. c. T. II. de Eccl. Triumph. L. I. C. 9. p. 294. & Concil. TRIDENT. Sess. XXV. de invocat. sanct. asserit: *Bonum atque utile esse suppli-citer sanctos invocare, illos vero, qui negant, sanctos invocandos esse, aut, qui asserunt, eorum invocationem esse idolatriam, impie sentire;* & ita tamen Script. S. sentit. Talis de mala concupiscentia. Scriptura S. dicit: *Τὸ γεγενημένον ἐν τῆς σαρκὶς, σάρξ ἐστι, Quicquid ex carne natum est, caro est. Ioh. III, 6. & οὐ σάρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τὴν πνεύματος. caro ista concupiscit adversus spiritum. Gal.*

V, 17.



V, 17. Ecclesia Pontifícia docet: *Naturae corruptiōne sive concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, imo nullum ex se, & natura sua peccatum.* v. ROB. BELLARM. l.c. T. IV. de amiss. grat. & statu peccati L. V. c. 7. p. 119. Similia leguntur in Concil. TRIDENT. Sess. V. in decreto de peccato orig. his verbis: *Hanc concupiscentiam, quæ nempe in baptizatis remanet, quam aliquando APOSTOLVS PECCATVM APPELLAT, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam NVNQVAM INTELLEXISSE PECCATVM APPELLARI, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, anathema sit;* quibus vero Apostolo in faciem contradicit, qui concupiscentiam hanc expresse ἀμαρτίαν nominat. Rom. VII, 7. nec non in sequentibus, ubi declarat, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, cum Scriptura S. non Mariam, sed solum Christum excipiat, quod fit νεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτολῶν. Separatus a peccatoribus. Hebr. VII, 26. quem titulum tamen: *Impollutus & à peccatoribus segregatus,* ABR. BZO-VIVS l.c. supra §. 9. inter nomina Papæ blasphemè retulit; imosibimet ipsi adversatur, quippe quod in precedentibus scribit: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini afferit nocuisse, -- anathema sit;* cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Talis de merito operum in justificatione. Scriptura S. dicit: *Scimus non*



justificari hominem εξ ἔργων νόμου, ex operibus legis ἐκείνης διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, sed per fidem Iesu Christi, etiam nos in Christum Iesum credimus, ut justificaremur εἰς πίστεως Χριστοῦ, ex fide Christi, καὶ εἰς εξ ἔργων νόμου, οὐ non ex operibus legis, διότι εἰς δικαιοθάσεται εξ ἔργων νόμου πᾶσα σάρξ. propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro. Gal. II, 16. Justificamur δωρεὰ τῆς ἀντιτίχαστης gratia, ejus gratia per redemptionem factam in Christo Iesu. Rom. III, 24. Quod si per gratiam, εἰς εἴτε εξ ἔργων, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; sin ex operibus, εἰς εἴτε εἰς τὴν χάριν, jam non est gratia alioquin opus jam non est opus. Rom. XI, 6. Ecclesia Pontificia docet: Fidem solam non justificare. v. ROB. BELLARM. l. c. T. IV. de Justif. c. 12. seqq. p. 309. seqq. quod & Concil. TRIDENT. confirmat Sess. VI. can. 9. Si quis dixerit, sola fide impium justificari -- anathema sit: can. 12. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit. can. 14. Si quis dixerit, -- hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit. Imo ROB. BELLARM. blasphemē hanc doctrinam mendacium appellat, quando l. c. T. II. de Not. Eccl. L. IV. c. II. p. 81. scribit: Sectarii nostri temporis docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisque certo credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest, non enim est id supra vel præter rationem, sed plane contra rationem, (nempe Bellarmini, qui doctrinam Evangelicam de Justificatione plane non intellexit.) Quero enim, pergit Cardin. cum incipio credere, me esse justum, vel sum justus, vel injustus, si ju-



si justus, igitur non justificor per fidem, qua credo, me esse iustum, quia ista fides est posterior mea justitia, si injustus, ergo ista fides est falsa, ergo non est fides divina justificans, nisi dicamus, homines JUSTIFICARI PER MENDACIVM; Et sic, Spiritus S. mendax est, qui dixit: Τῷ μὴ ἐργαζομένῳ, non operanti, πισεύοντι δὲ, credenti vero in eum, qui justificat impium, λογίζεται η πίσις αὐτῷ εἰς δικαιούμενον. imputatur fides sua ad justitiam. Rom. IV, 5.

§. XXX. Sic non verentur Pontificii Scripturæ S. Et hæc potest in faciem contradicere, ut novos tantum, quos Papa ex-scas Papa a cogitavit, fidei articulos tueantur. Nec mirum hoc est, tur. cum ipsi, reclamante licet Scriptura S. Papæ plenariam concedant potestatem, fidei articulos pro lubitu condendi vel prohibendi. Papa IMMVTARE POTEST RE-RVM NATVRAM, substantialia unius rei applicand⁹ alteri, imo potest aliquid de nibilo facere, DE INFVSTITIA FVSTITIAM, corrigendo jura, & mutando. in Decret. de translat. Episc. cap. 4. in glossa, & de concess. præb. c. proposito ap. D. LEONH. HVTTER. Il. mal. R. P. p. 6. Papa est metrum & regula, ac scientia credendorum. JOH. de TVRRECREMATA in Summ. de Eccl. Lib. 2. Cap. 203. NOVVM SYMBOLVM condere solum ad Papam spectat, quia est caput fidei Christianæ, cuius autoritate omnia, quæ ad fidem spectant, firmantur, & roboranrur. Sicut potest novum symbolum condere, sic potest NOVOS ARTICVLOS supra alios multiplicare. AVG. TRIVMPH. ANCON. qv. 59. art. I. § 2. Papa potest inducere NOVVM ARTICVLVM FIDEI. NICOL. Abbas Panormit. in cap. cum Christus, de heret. n. 2. Papa potest facere NOVOS ARTICVLOS FIDEI, id est, quod modo credi oporteat, cum sic prius non oporteret. PETR. de ANCHORANO



*in id cap. v. D. J. G. DORSCH. Kirch. dev. prælim. p. 124. sq. ABRAH. BZOVIVS l. c. supra §. 9. Tit. 22. vocat Papam: Conditorem dogmatum. Etiam supra & contra Scripturam. Papa CONTRA EPISTOLAS PAVLI potest statuere. CAROL. RVINVS Conf. 109. num. 9. Vol. 5. v. D. LEONH. HVTT. l. c. p. 9. Potestas Papæ major est Apostolo ac potest dictis apostolicis derogare. ROTA. decis. i. n. 3. v. D. JOH. GERH. in Confess. Cath. L. II. Art. III. app. p. 946. Et ipse etiam Papa potestatem hanc soli Deo competentem sibi sumit, siquidem Papa Leo X. inter alios articulos, quos in Lutherò rejecit, etiam vigesimum sextum damnavit, qui hujus tenoris: *Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse statuere articulos fidei.* & PHILIARCH. de offic. Sacerd. T. I. L. III. c. 2. eam impiam Lutheranorum heresin vocat, qui dixerunt, nullam esse in Ecclesia potestatem condendi novos articulos. ap. D. J. GERH. l. c. p. 948. Ergo in Ecclesia Pontificia hoc certum est, & certum simul, Papam Romanum eo ipse Vice-Deatum proterve affectare.*

Papæ tribuitur divinus cultus adorationis, qui soli Deo est proprius.

§. XXXI. Ad ultimum apertam Papicolarum Papolatriam arguit DIVINVS, quem Papæ tribuunt, CVLTVS, nempe ADORABILITAS. Quod solus Deus trinunus sit adorandus, & religiose colendus, apertissima veritas est ex ore ipsius Christi. Dominum Deum tuum προσκυνήσεις, adorabis, & ἀντῷ μέρῳ ipsi soli servies. Matth. IV, 10. & Dei. Ego sum Jehova, illud est nomen meum, וְכֹבוֹד לְאַחֲרֵי נִזְנָתָא גloriam meam alteri non dabo, וְהַלְלֵתִי laudem meam sculptilibus. Jes. XLII, 8. Ut enim essentia divina divisionem non admittit, ita nec honor divinus, quia eminentia adorationis, sive adorabilitas soli divinæ essentiæ est propria. In Christo homine

ne



ne vero non est *āllos nōj āllos*, ut Theologi nostri loquuntur, sed tantum *āllō nōj āllō*, quare cultus religiosus adorationis, qui soli Deo Trinuno adscribitur, humanitatem Christi non excludit, sed includit; & *omnes honorare debent filium, παθῶς τιμῶσι τὸν πατέρα. sicut honorant patrem.* Job. V, 23. uno eodemque cultu, nempe quoad rem, licet non quoad habendi modum, cum Deus *κατ' αὐτὸν & φύσει*, humanitas vero Christi *κατ' αὐτῷ & χάριτι* per unionis gratiam adoretur. Phil. II, 9. 10. II. quia nempe humana natura filii Dei particeps facta est divinæ tum naturæ tum hypostaseos.

§. XXXII. Pontificij vero gloriam hanc Dei alteri etiam dant, nempe Papæ Romano. Inter hos adulatores & adoratores Rom. Pontificis vel primum locum obtinet ADAMVS TANNERVS (per anagramma non incommode: *An tam nudus eras?* nuditatem enim idololatrici hujus cultus aperte detexit) in *Theol. Schol. T. III. disp. I. quæst. 2. dub. 2. n. 61.* Verba ejus leguntur in D. JOH. GEORG. DORSCH. *Pentadec. Diff. XIV.* §. 44. p. 507. & ita habent. *Vicarius Christi duplīcē potest honore coli: Primo per simplicem mentis apprehensionem, agnoscendo quodammodo IN ILLO CHRISTVM, cuius personam & munus sustinet, & hoc modo EODEM CVLTV, QVO CHRISTVS, VT HOMO, COLITVR, ADORARI POSSET, ita quidem, ut talis cultus propriè & per se ad Christum, per accidens vero solum & relative ad ejus vicarium tendere, quod tamen honoris genus existimo consuetum non esse. Secundo JVXTA PROPRIAM, DIGNITATEM VICARII, quam a Christi dignitate ut homo & supremus Ecclesiæ moderator, habet derivatam, honore quodam inferiori; quem ipsum tamen*

AD



AD EVM HABITVM pertinere censeo, QVO CHRISTVS itidem VT HOMO COLITVR. Similia imo majora habet AVGVSTIN. de ANCONA in Summ. de Pot. Eccl. qv. 9. art. 1. p. 63. ubi quæstionem movet: Utrum Papæ debeatur honor, qui debetur Christo, secundum quod Deus? Et ita respondet: Videtur, quod HONOR, QVI DEBETVR CHRISTO, SECVN-DVM QVOD DEVIS, DEBEATVR PAPÆ, quia ho-nor debetur potestati: Sed VNA EST POTESTAS CHRISTI, SECVN'DVM QVOD DEVIS EST ET PAPÆ. Quod probatur, quia potestas Christi, secundum quod Deus, est peccata remittere juxta illud Marc. 2. quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? illud autem con-venit Papæ, quia quocunque ligat vel solvit supra terram, est ligatum vel solutum in cœlis, juxta Matth. XVI, 19. IDEM ERGO HONOR DEBETVR VTRIQUE. Hoc modo blaspheme Christo & Anti - Christo idem adora-tionis cultus adscribitur. Sic FRANCISCVS PA-TRITIVS apud D. J. G. DORSCH. in Anti-Kirch. p. 119. dixit, quod Papa R. sit Verus Christi Vicarius, in quo Christus ipse -- adorandus. & in Ej. Anti-Corn. Cap. 24. §. 12. p. 296. CARD. COLVMNA, quod eum an-geli in cœlis revereantur, portæ inferorum timeant, totus-que mundus adoret. Pari modo ADOARD. GVA-LANDVS de mor. & civ. facult. L. XIV. c. 3. scribit: Merito sanctissimus appellatur Papa, & ab omnibus Chri-stianam religionem profidentibus QVASI QVIDAM DEVIS ADORATVR & colitur. v. D. WILH. LY-SER. Disp. de Idol. Pontif. §. 98. p. 69. non tantum cul-tu dulia, sed etiam hyperdulia, ut RAYNAVD. Monast. Pontif. sub not. 3. tr. 1. expresse profitetur: Non qualem-cunque cultum ei esse impendendum, sed supra communem ordinem



ordinem cultus religiosi sanctis tributi, ita ut cum sanctis exhibeatur cultus dulie, PONTIFICI TAMEN DEBEATVR CVLTVS HYPERDVLIÆ. v. D. JOH. GVNTH. Demonstr. ex Epist. ad Rom. quod Ecclesia Luth. sit apostolica. Rom. vero apostatica. p. 98. Et quid opus est verbis? ubi ipsum factum effatum comprobat. Probatio omni exceptione major est religiosa pedum Papalium deosculatio, quam ipsi Pontificii ad exemplum Magdalenaæ, pedes Salvatoris osculando, peccatorum veniam petentis, introductam esse dicunt. Hanc Romanus Pontifex non tantum admittit, sed & exigit, non ab inferioris tantum ordinis Viris, sed a Summis etiam Principibus & Regibus. Sic præcipitur in Libro Cerem. Lib. I. Sec. 5. p. 51. Imperator, ut primum Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur, & iterum, cum appropinquat ad gradus sedis, genu flectit, demum cum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devote osculatur. Sic defenditur a parasitis sedis Pontificiaæ. JOSEPH. STEPH. VALENTIN. in Tract. de oscul. ped. Rom. Pont. c. 9. scribit: Pontifex Christi personam sustinet, ideo ejus vice oscula pedum excipit. & ANTONIN. DIAN. Part. 2. tit. 22. cap. 5. §. 4. Non minor honor debetur Papæ, quam Angelis, ideo Papa recipit a fidelibus adoraciones, prostrationes, & oscula pedum. ap. D. J. GERH. l. c. p. 955. imo ambo integros tractatus de adoratione & osculo pedum Papæ ediderunt, uti & ANTON. MAZARONIVS, aliquie; quæ vero malam causam non probant, sed produnt, siquidem Papa Christi personam non sustinet, sed Anti-

G

Chri-

Christi ; & Angelus in Apocalypsi talem, adorationem non recepit, sed rejicit, dicendo : ὁ οὐ μὴ vide, ne fereris, σύνδελός σε γὰρ εἴμι conservus enim tuus sum, Εἰ fratum tuorum Prophetarum, Εἰ eorum qui obseruant verba libri hujus τῷ Θεῷ προσκυνησον. Deum adora. Apoc. XXII, 8.9. conf. D. BEN. CARPZOV. Vindic. Th. Luth. contra Ict. Dilling. §. 4. D. ANDR. KESLER. l.c. p. 75.

*Et non potest
excusari.*

§. XXXIII. Hæc adoratio Papæ nulla ratione excusari potest ; non enim est communis, nam ceteri Episcopi non adorantur, sed propria, quæ nemini defertur, quam soli Papæ solum, nec est civilis, sic enim Reges & Principes pari modo essent adorandi, etiam ab ipso Papa, quod Pontificii negant, sed religiosa, quæ per genuflexionem, prostrationem, devotam invocationem & deosculationem modo religioso peragitur. v. DAN. CHAM. Panstr. Cath. T. I. L. XVI. c. 18. §. 5. seqq. p. 357. seqq. Sic orationem dominicam idololatrico modo ad Papam Rom. applicatam, plane ad mentem scriptorum Pontificiorum, & ex eorundem verbis scripsit D. JOH. GEORG. DORSCH. Relig. Scrupel in prefat. p. 189. seqq. ubi potest legi. Nos jam aliud exemplum precum, quibus Papa a suis adoratur, adducimus, quod non sine sacro horrore potuimus legere. Legitur illud in FAVSTI SABÆI Brix. Epigrammatar. Poët. L. 3. p. 513. ad. Julianum III. Pont. Max. directum, & ad tenorem Psalmi trigesimi ita habet :

Cuius

G



IN TE SPERAVI, fac ne confundar in ævum,

Juli, & egestatis pondere me exonera.

Porge aurem, accelera, meque eripe ab hoste sequaci,

Libera ab ærumnis, retibus, insidiis.

Esto & apud temet Dominum mihi, maxime Juli,

Configrique domus, præsidiumque meum.

Tuque meæ vires, portus, spes una, salusque

Dulce tuum ob nomen NVMEN ET ESTO

MEVM.

INQVE TVAS COMMENDO MANVS, Juli opti-

me Princeps,

SPIRITVM, & hos canos, plectra, lyram,

calanium.

JOH. HEINR. VRSIN. qui Epigramma hoc etiam adduxit in *Anal. sacr. Vol. I. Lib. II. n. 6. p. III.* recte ad-didit: *Hominis prorsus insani opus hoc esse, non sanus juret Orestes; crassiori enim modo non posset Pontifex adorari.* Et quomodo quæso congruit illud pedum osculum, cum exemplo Petri, qui illud a Cornelio re-cusavit; *Cum enim introiret domum ejus Petrus, occur-rens ei Cornelius, ad ejus pedes adoravit: Petrus verò erexit eum, dicens: Ἀνέσθι, καὶ γὰρ οὐτὸς ἀνθεπονός εἰμι. Surge, & ego ipse homo sum.* Act. X, 25. 26. & ipsi ta-men eum primum Pontificem fuisse fingunt; adeoque



Papa Roman. aut Petri successor esse non potest, quod tamen jactitat, aut pedum osculum admittere non potest, quod tamen facit, eligat quid velit, sic tamen profiteri tenetur, se in uno hactenus errasse, nec erit ab affectato hactenus Vice-Deatu immunis.

*E. aperta
committitur
Papolatria.*

§. XXXIV. Ex his enim omnibus, quæ hactenus diximus, luce meridiana clarius elucescit, Pontificios Papam Romanam ut *idolum & Vice-Deum & coluisse hactenus, & adhuc colere & venerari.* Cuicunque enim divina tribuuntur nomina, divina attributa, divina opera divinus cultus, ille pro Deo habetur & colitur. Papicolæ vero hæc omnia Papæ Romano attribuunt, *divina nomina eidem impertiuntur, divina attributa ipsi adscribunt, divina opera illi adsignant, & divinum cultum ei exhibent,* quis dubitare potest, eos eundem ut Vice-Deum habere, & verbo ac facto profiteri. Prior thesis non indiget probatione, & per se clara est, siquidem Theologi ipsius filii Dei ut & Spiritus sancti divinitatem ex iisdem fontibus derivant, & quia iis in Scriptura S. summi Dei nomina, summi Dei attributa, summi Dei opera, summus solique Deo competens cultus & religiosa adoratio adscribitur & competit, firmiter concludunt, & filium & Spiritum S. verum esse Deum, cum Deo patre unius divinæ essentiæ, gloriæ & maje-
statis. Posterior jam in præcedentibus per omnia membra fuit probata, adeoque etiam consequens pari modo firmum & verissimum esse debet, quod nempe Papistæ Papolatriam aperte committant, & Papam Ro-
manum,



manum idololatrico modo venèrentur, id quod fuit demonstrandum.

§. XXXV. Non *excipere* possunt Pontifici: Ipsum *Exceptio sol-*
Papam hæc & similia non affectasse, sed tantum quosdam vitur de Pa-
viros bonos, studio & favore erga Sedem Romanam, & pa in genere,
bona intentione ejusmodi de Papa scripsisse & docuisse. & quod hæc tan-
*Papam vero eadem saltim admis-*sit, non ipse** tum admis-
rit, non ipse
docuerit.
præcepisse; Exceptio enim hæc & veritati est contraria,
nam intentio bona rem malam non facere potest bonam,
nec bona intentio esse potest, licet esse videatur, in re
mala, alias quis vel errorem in doctrina fovere, vel fla-
gitium quoddam in vita impune committere posset, sub
fucato bona intentionis prætextu. Non sunt facienda
mala, ut inde eveniant bona, multo minus sunt facienda
mala, ex facta licet intentione bona, ut ira eveniant, vel
robur accipient mala; & ipsi facto, uti ea, quæ in supe-
rioribus adducta sunt, ad oculum testantur. Pontifices
enim non tantum bono animo hæc omnia pati & ferri
possunt à suis gnathonibus, & iisdem nullo modo con-
tradicunt, sed & hæc, quæ Artistæ, Legistæ, Canonistæ,
& hujus furfuris alii profano calamo scriperunt, appro-
bant, imo quoad magnam partem in canones seu jus eo-
rum canonicum retulerunt, & credenda præceperunt.
Testatur hac in re index eorum expurgatorius aperte de
eorundem mente; in eodem enim multa Doctorum &
etiam Patrum scripta virgula censoria injuste sunt notata,
imo ipsa sacra Biblia, nullus vero Canonistarum liber,
vel aliud scriptum, quod Papam ut idolum in Dei thro-
nnum collocat, vel notatum fuit, vel expurgatum vel pro-
G 3
hibi-

hibitum. Si autem vel mica apostolicæ modestia in Papa esset, aut scintillula zeli honoris divini, prohibere hæc omnia debuisset, imo nec admittere, sed ad tam diuinum & idololatricum ipsi exhibitum cultum exsilire cum Paulo & Barnaba, ac vociferari: *Ἄνδρες, τι ταῦτα ποιεῖτε; Viri, cur ista facitis? καὶ ἡμεῖς ὅμοιοπαθῶς ἐσμεν ὑμῖν ἀνθρώποις. nos quoque sumus homines iisdem, quibus vos affectionibus obnoxii.* Act. XIV, 14. ne manum illam veri Dei vindicem vereri necessum habeat, quæ Herodem ferit, quod turpissimam populi adulationem, acclamantis: *Θεὸς Φωνή, καὶ σὺ ἀνθρώπος. Dei vox est, Εἰ non homo minis.* Act. XII, 22. non rejecisset, nec castigasset, & Principem Tyri punivit, qui etiam dixit *אֶל אֱנוֹן Ego sum Deus, & cor sibi tribuit:* **כָּל בְּאֶלְחָנָן tanquam cor Dei.** Ezech. XXIX, 2. 6. Et qua ratione quæso rejice-re possent has parasitorum adulationes humanam sphæram transcendentes, cum ipsi his similia & dicant, & fagiant. Sic ipse Joh. XXII. Papa Rom. in quadam bulla ad Eduard. II. Anglia Regem data se *supra ius positum,* & a jure solutum pronunciat, quod tamen nemini, nisi ipsi Deo, supremo legislatori, competit, observantibus ex Tom. III. Fœder. Conv. Lit. & Act. publ. Lond. publ. p. 633. Act. Erud. Lips. anno 1710. p. 228. & Dn. D. JVST. HENNING. BOEHMER. in *Introduct. in Jus Publ. Univ. cap. 2.* effigiem quandam adducit ex codice Gratianni, sec. 13. conscripto desumptum, ubi Papa in superiori, Imperator vero in infima parte conspicitur, his appositis versiculis, ex ore quasi Papæ perfluentibus:

83

REX



REX ego sum REGVM, lex eß mea maxima LE-
GVM

Te facio Regem, tu rectam dilige legem.

uti pari modo in *Aet. Erud. Lips. Suppl. T. IV. Sect. 12.*
p. 18. legere est.

§. XXXVI. Sed forsan hæc *priora* tantum respici- *De temporibus post reformationem, quod Papola-tria decreverit.*
unt tempora, dicat aliquis, obscuriora illa, ubi Papalis se-
des inter viros vere obscuros ad tale divinum fere fasti-
gium excessive excrevit, *post tempora reformationis tan-*
ta & tam divina majestas Romano Papæ non amplius tri-
buitur; Ad minimum nostro tempore *hodiernus Rom.*
Pontifex, qui Sedi Papali præst, *Innocent. XIII.* ab ea-
dem est alienus, quippe qui potius humilitati studet, va-
rios sux Ecclesiæ abusus in Concilio Lateranensi supe-
riori anno habito, quale quid intra seculi spatium non
factum fuit, reformare intendit, & ipsam sacerorum Bi-
bliorum lectionem suis vult permittere, adeoque Papo-
latria, a qua forsan Antecessores ejus non fuerunt im-
munes, in eodem exolevit, & desit; Ast hæc gratis di-
cuntur, & sine fundamento. Id equidem facile largi-
mur, reformationem B. Luth. & utilem admodum fuisse
Magistratui politico, sacris etiam alias Romanorum ad-
dicto, quippe cui ope ejus dignitas sua & autoritas, a
Deo in verbo suo ipsi demandata, & a Papa injuste sup-
pressa, fuit restituta, ut non amplius brutum fulmen cu-
riæ Romanæ vereri debeat; & fatalem Ecclesiæ Pontifi-
ciorum, cuius præter & contra Dei verbum affectata
majestas eo ipso quoad magnam sui partem decrevit, uti
fuit.



fuit prædictum. ἐπεσεν ἐπεσε βαβυλῶν η πόλις, η μεγάλη. Cecidit, cecidit, Babylon, urbs illa magna, quia vinum ex-candescens & scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus. Apoc. XIV, 8. Sed ideo Papolatria non plane desit, nullo enim tempore defuerunt adulatores sedis Pontificiæ, qui summam Papæ dignitatem & Vice-Deatum fulcire, corroborare, imo evehere omni molimine sunt conati. Testatur id etiam communis, & usque ad nostra tempora conservata Ecclesiæ Pontificiæ praxis, non enim tantum in inauguratione unicūjusque Papæ de novo electi magna habetur adorationis solennitas, sed & Papicolaæ omnes uno ore Papam Romanum appellant sanctissimum, quod nomen tamen soli Christo competit, qui dicitur קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ sanctus sanctorum, seu sanctissimus. Dan. IX, 24. & summo Deo, cui nomen קָדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל sanctus Israelis. Jes. XLVII, 4. Papa vero nec est, nec esse potest; nam quid est mortalis, quod mundus sit, & sanctus, quid dicam sanctissimus? בְּקָרְבֵּנוּ וְכִי יִצְקָחֶנּוּ ut justus sit, natus muliere? Ecce sanctis suis non crediturus esset firmitatem, & cœlites non sunt mundi in oculis ejus. Job. XIV, 14. 15. Nec unquam fuit, cum multi inter Pontifices, nec Pontificiis ipsis dissentibus, non sancti fuerint, sed mali, pejores, pessimi, ut & post Gregorium Magnum, de quo notus est versiculus:

Gregorius vitam finit apostolicam.

intra mille & centum annos, nullus Paparum fuerit inter sanctos relatus & canonisatus, licet superstitionis sanctorum, uti dicunt, canonisatio, in Ecclesia Pontificia non fit



sit infrequens, quod malum signum est pro patre sanctissimo. Et desperatae certo rei est effugium, quod Gregor. VII. Papa, qui nihil minus, quam sanctissimus T. III. Concil. P. 2. p. 1196. excogitavit apud D. JOH. GERH. in Confess. Cath. l. c. L. II. Art. 3. app. p. 251. Romanum nempe Pontificem canonice electum meritis Petri indubitanter effici sanctum, quod vix ullus Pontificiorum, qui emunctioris nasi, indubitanter credit.

§. XXXVII. Quod nostra præcipue tempora attinet, indubitatum Papolatriæ adhuc in Papatu residuæ, & in quantum possunt, a Papicolis defensæ, testimonium est famosum illud cum *Bulla Unigenitus* negotium, quam Papa vix demortuus Clem. XI. contra P. Paschasiūm Quesnellium, Presbyt. Orat. ejusve Nov. Testamentum, promulgavit, & propositiones centum & unam ex eo desumptas, in eadem inclementer damnavit. Variæ enim inter easdem ideo tantum a Papa rejectæ sunt & expunctæ, quia supremæ, quam affectat, Papæ potestati, & divinæ ejus autoritati contradicunt; Hujus tenoris est Thes. 74. *Ecclesia sive integer Christus, incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero sanctos, ut membra.* Thes. 83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum librorum.* Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. Thes. 90. *Ecclesia autoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu, saltem præsumto, totius corporis.* Thes.



94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem laedunt, nec mores. Thes. 97. Nimis saepe continet, membra illa, quæ magis sancte & magis stricte unita Ecclesie sunt, respici atque tractari, tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata, sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. Thes. 100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem ejusque discipulos. Tempus hoc advenit -- Frustra sibi quis blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excœcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus, sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum. conf. thes. 75. 76. 80. 81.

84. 85. 86. 91. 92. 93. 95. 99. Et licet non desuerint, qui causam Quesnellii e Scriptura S. e conciliis, e patrum scriptis, ex ipso etiam jure canonico defendebant, nec qui a Papa ad concilium quoddam generale appellarunt, quod egregium specimen est falso jactata concordia in Ecclesia Pontificiorum; magna tamen iterum fuit eorum cohors, qui Papæ rem tot scriptis & voluminibus egerunt, ut vel solos recensere titulos, integrum tractatum requereret. Tantus eorum exercitus adhuc pugnat pro Papolatria, & theatrum hujus pugnæ per multos annos agitatæ præcipue Gallia fuit, & adhuc est, ut vel Constitutionistarum & Appellantium, ceu partium inter se dissident-



dentium nomina indicant. Hæc, dum scribimus, in mentem iterum nobis venit idolum gentilium *Attis*, seu *Papa*, cuius supra jam §. 2. mentio facta; Ejus enim sacrificulos eviratos vocarunt *Gallos*, & præcipuos inter eosdem *Archi-Gallos*, ab iisdem etiam vocabulum: *gallare*, ortum duxit, ut gallare dicantur, qui Gallorum illorum imitantur insaniam, ubi facile quidem subscribimus GERARD. JOAN. VOSSIO, qui in *Theolog. Gent. L. I. C. 20. p. m. 155.* & *L. II. C. 53. p. m. 599.* ubi hæc adduxit, nomen ipsis impositum esse arbitratur, vel a Gallo, flumine Phrygiæ, vel à viro, nomine Gallo, qui primus forte Cybeles sacerdos fuit. Eorum vero opinionem rejicit, qui eos ita dictos autumarunt, quia ad hoc sacerdotium assumerentur natione Galli, iisque castrarentur in contumeliam Gallorum, qui Romam incendissent. Attamen non sine omniè esse videtur, quod Galli præcipue sint assertores hactenus & vindices hujus Papolatriæ partis, & licet ipse *Archi-gallus*, ut ita dicam, Ludov. Antonius nempe de Noailles, Rom. curiæ Cardinal. & Archi-Episc. Paris. ex parte dissentiat, Galli tamen monstrsa hæc Papæ jura, & portenta dogmata cantent, & decantent. Sic Galli ad hunc usque diem gallant, & cum gallantibus Gallis & Itali, & Germani, aliive gallare dicerunt, in eum tantum finem, ut Papolatria, quæ alias per rejectionem Bullæ Papalis, ex parte infringetur, farta & tecta servetur.

§. XXXIX. Hac in re implicitus etiam est *bodier-De Papa honus Rom. Präsul & Papa, Innocentius XIII.* De eo ^{dierno, quod ab ea fit im-}



primum magnam spem habuit ipsa Ecclesia Pontificia, fore, ut per viam modestiæ juxta jus & æquum, ac du-
ctum verbi Divini portentosum Constitutionis negotium
finiat, vel ad minimum silentio tegat; ipse etiam hoc
Augustissimo Imperatori, Carolo VI. quem Deus per se-
cula servet, & Principe Juventutis clementissime beat,
quippe qui per Cardin. de Althan id quæsierat, promi-
fit, ut & explicationem Bullæ Clementinæ, sed ferme
omnis spes collapsa est tum per literas ad Regem Gallia-
rum Ludov. XV. postmodum exaratas, in quibus bra-
chium seculare contra Dissidentes a constitutione magno
fervore expetiit, tum per mandatum ejus de novo da-
tum, quod omnibus ipsam constitutionem sine omni re-
strictione & explicatione assumendam & credendam præ-
cipit, & quod etiam in Concilio ejus Lateranensi fuit
confirmatum. Sic ipse omnia elusit, quæ antea lauda-
biliter & dixit, & fecit; quamdiu enim bullam hanc, in
multis Scripturæ S. aperte contrariam defendit, vel de-
fendendam curat & permittit, tamdiu semetipsum, Pa-
polatriæ, & prætensiæ infallibilitatis, per hanc accepta-
tionem stabilitæ & stabiendiæ reum & participem facit,
præcipue, cum ut omnia, quæ hactenus egit, nobis
persuadere videntur, ipse cognoscat, quod sacræ Scri-
pturæ in multis sit contraria, adeoque etiam Innocen-
tius quoad Papolatriam non erit innocens. Et licet
hæc omnia non faciat Papa hodiernus, Papolatriam ta-
men superius assertam non negare possunt Papistæ, cum
juxta eorum Canonistas omnes Papæ sint unus Papa,
adeoque quæ unus fecit, alter etiam fecisse putandus est.
Sic scribit AVGUSTIN. TRIVMPH. de AN-
CONA



CONA de Pot. Pap. qv. 3. art. 7. *Quoad officium & autoritatem Papatus omnes Papæ, qui fuerunt a principio & erunt usque in finem mundi, non sunt nisi unus Papa;* & *Glossograph. in proœm. decret. in verbo resecatis: Papa eadem persona censetur cum eo, cui succedit D. JOH. GEORG. DORSH. Relig. Scrupel.* p. 429. & sic etiam Clem. XI. & Innocent. XIII. non sunt nisi unus papa, & Innocent. XIII. eadem persona censetur cum Clem. XI. cui successit, & qui inclemtem hanc bullam dedit.

§. XXXIX. Hæc sunt, B. L. quæ de Papola-*Conclusio.*
tria pro modulo temporis non deducere, sed quoad pri-
mas tantum lineas adducere potuimus. Nos, quod at-
tinet, Papam Romanum, & amamus, ut proximum
nostrum, ipsique illuminationem Spiritus S. qui ut τὸ
πνεῦμα τῆς ἀληθείας Spiritus veritatis, nos dicit εἰς πᾶ-
σαν τὴν ἀληθεῖαν, in omnem veritatem, Job. XVI,
13. ex verbo Dei, unica fidei & vitæ regula, toto cor-
de apprecamur. Papolatriam vero, ceu Scripturæ S.
& cultui veri Dei contrariam, nam πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ
μᾶλλον ἢ αὐτοῖς, obedere oportet DEO potius, quam
hominibus. Act. V, 29. toto corde detestamur, non im-
memores effati Divi Pauli, quod omnibus etiam Papi-
colis & Papolatris bene pensitandum relinquimus de ho-
mione illo peccati, & filio perditionis, qui dicitur ὁ αὐ-
τοκτόνος, sese opponens ille, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντας
λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, & efferens se supra quicquid di-
citur Deus, aut numen, adeo, ut in templo Dei ὡς θεὸς
tanquam Deus sedeat, αποδείκυων ἐαυτὸν ὅτι εἰς θεὸς, præ-



se ferens, quod sit Deus. 2. Theff. II, 4. Quare nos non Mariæ, non sanctis, non alii cuidam, sed uni soli Deo, Summo & Trinuni Patri, Filio & Spiritui Sancto, quem solum ut Deum colimus & veneramur, grates agimus, quas possumus, maximas & sempiter-nas, pio ore dicentes:

ברוך יהוה אלהים אלהי כבورو ישראל עשה נפלאות לכדו: רברוך שם כבورو לעולם ויטלא כבورو את כל הארץ אמן ואמן:



ΣΥΝΟΨΙΣ.

§. I. Papisimus Syncretismum habet cum ethnici-
 smo. §. II. Ethnici coluerunt idolum, cui nomen Pa-
 pa, sic etiam Papistæ. §. III. Derivatio vocis Papa, du-
 bia est. §. IV. Vera datur. §. V. Non de voce lis est
 sed re ipsa. §. VI. Nomen Papa, olim Episcopis commune,
 idololatrico sensu Pontifex Rom. ad se traxit. §. VII. Adeo-
 que committitur Papolatria. §. VIII. Papæ divina attri-
 buuntur nomina. §. IX. Non tantum in genere. §. X.
 Sed & in specie omnia nomina Christi. §. XI. Imo ap-
 pellatur Vice- Deus, Pro- Deus, Deus ipse. §. XII.
 Varia etiam dicta Script. S. quæ de Deo & Christo agunt,
 ad Papam applicantur. §. XIII. Objectio solvitur.
 §. XIV. Papæ divina adscribuntur attributa, e. g. Omni-
 scientia & infallibilitas, quæ soli Deo competit. §. XV.
 Non Papæ. §. XVI. Papæ tamen tribuitur. §. XVII.
 Eorum distinctiones rem non explicant, sed implicant.
 §. XVIII. Ipsi etiam inter se discrepant. §. XIX. Papæ
 tribuitur divina omnipotentia, quæ soli Deo propria.
 §. XX. Papæ nullo modo competit. §. XXI. Sed adscri-
 bitur Papæ potentia maxima, absoluta, infinita, imo omni-
 potentia. §. XXII. Etiam in temporalibus. §. XXIII.
 Papæ tribuuntur opera & instituta divinae e. g. circa Scri-
 pturam S. quæ a solo Deo nobis manifestata & prescri-
 pta. §. XXIV. Sed Papa Scripturæ S. detrahit. §. XXV.
 Scripturæ S. addit. §. XXVI. Script S. contradicit,
 e.g.



e. g. Scripturam S. a laicis legi prohibet contra Script. S.
§. XXVII. Dispensat in prohibitis gradibus contra Scri-
pturam S. §. XXVIII. Nova instituit sacramenta con-
tra Script. S. §. XXIX. Novos facit fidei articulos
contra Script. S. §. XXX. Et hæc potestas Papæ a suis
conceditur. §. XXXI. Papæ tribuitur diuinus cultus
adorationis, qui soli Deo est proprius. §. XXXII. Pa-
pæ etiam exhibetur verbo & facto. §. XXXIII. Et non
potest excusari. §. XXXIV. E. aperta committitur Papo-
latria. §. XXXV. Exceptio solvitur de Papa in genere,
quod hæc tantum admiserit, non ipse docuerit. §. XXXVI.
de temporibus post reformationem, quod Papolatria de-
creverit. §. XXXVII. de nostris temporibus, quod fer-
me desierit. §. XXXVIII. De Papa hodierno, quod ab
ea sit immunis. §. XXXIX. Conclusio.

ED - Beg 2002

01 A 6739



Ruth ✓

40
Juli 2002





B.I.G

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIONE
PAPOI
AVSPICIL
ET CONSENSV A
MAGNIFICI THEO
CELEBRATISSIMA LI
CVM D. X. SEPTEMB
DOCTOR S
LITERARVM ET
PVBLICE REN
SOLENNI
EXH
GOTTFRIDV
MVLL
SS. THEOLOG.
PASTOR PRIMARIUS E
APVD ILME
LIPS
LITERIS IMMAM

